B-P


6
36
6

VITA
CAESARIS BARONII

Ex Congregatione Oratorij

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

Et Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarij

Auctore

HIERONYMO BARNABEO PERVSINO

Eiuſdem Congregationis Presbytero.





ROMÆ, Apud Vitalem Maſcardum, MDCLI.

SVPERIORVM AVCTORITATE.

Sumptibus Ioannis Caſonij.

SANCTISSIMO,
AC BEATISSIMO PATRI
Et Domino Nostro
INNOCENTIO X.
PONT. MAX.



HIERONYMVS BARNABEVS
Presbyter Congregationis Oratorij
sempiternam felicitatem.




RODIT nunc demum in lucem, Beatissime Pater, Vita Cæsaris Cardinalis Baronij, quæ quidem latuisse diutius quàm decebat fortasse videri possit: cum enim de ea conscribenda non semel deliberatum fue-

rit, non ſine numine in hanc vſque diem dilata res eſt, vt nimirum tuis temporibus, tuoque nomini reſeruaretur: de illo quippe agitur, qui olim tanquam animo futura præſagiens tibi ad ſupremam omnium dignitatem progreſſuro quibus potuit modis viam muniuit (quemadmodum Sanctitas tua & reminiſci & profiteri non dedignatur) quem tu ipſe viciſsim ab ineunte ætate vna cum ſancto Parente noſtro Philippo mirificè coluiſti, & quaſi patrem in ſpiritu ſemper honoraſti, ac demum præclaro teſtimonio, quæ de illo ſcripſimus non pauca comprobaſti. Igitur Beatiſsime Pater (quæ tua benignitas eſt) Cæſarem nunc iterum in lucem editum quaſi filium ſuſcipe, atque Apoſtolica benedictione confirma: ſic enim fiet, vt quemadmodum eius præclara ſcripta per Orbem vagantur magno Chriſtianæ reipublicæ bono, ita quoque eiuſdem

facta

facta longè clariora latius innotescant, totique illuceant Ecclesiæ Dei, quem oro, vt Sanctitatem tuam ad communem omnium vtilitatem diutissimè seruet, dum ad sacrorum pedum oscula humillimè procumbo.



LECTORI.

SERIUS profectò, quàm par erat, Cæsaris Cardinalis Baronij vita in lucem prodit, nostrorumne dixerim incuria, an potius modesta quadam negligentia, an etiam mea culpa, qui demandatum olim mihi opus vix demum post annos aliquot ad finem perduxi? Inchoauerat rem iam feliciter Michaël Angelus Buccius nostræ Congregationis presbyter æquè eruditus ac pius, qui Baronium ipsum & viuentem mirificè coluit, & mortuum satis luculenta oratione laudauit, multaque deinde de eius rebus gestis congessit & scripsit, sed immatura morte præreptus absoluere ac perficere non potuit. Ex illo de hac re altum silentium. Di-

Denique superioribus annis, nescio qua ratione mihi imperatum est, vt quæcumque de Baronio aut dicta aut scripta fideliter inuenirem, ea omnia colligerem, atque in historiæ modum conscriberem. inuitus, fateor, onus suscepi, cum & me in scribendo prorsus rudem, & in rebus domesticis satis occupatum viderem. tamen vtcumque parendum fuit, quamquam Tullianum illud semper animo obuersabatur, otio nisi præparato, institui historiam nec posse, nec exiguo tempore absolui. itaque cum ad scribendum animum applicuissem, etsi multa & præclara de Cæsaris vita me reperturum sperabam, tamen longe plura & maiora reperi, quàm credideram: quæ quidem licet publica Ecclesiæ auctoritate haud fulciantur, neque enim Congregatio nostra in hac re quicquam adhuc laborauit, nihilominus cum ea omnia ab hominibus fide dignis aut dicta aut scripta fuerint, posteris tradere non dubitaui. Testor Iesum & Sanctos eius (*liceat hìc vsurpare quod S. Hieronymus de vita Paulæ Romanæ scripturus præfatur*) ipsumque Angelum qui custos fuit admirabilis viri, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui, sed quicquid dicturus sum, pro testimonio dicere, & minus eius esse meritis, quem totus Orbis canit, Sacerdotes mirantur, Virginum chori desiderant,

rant,

rant, Monachorum & pauperum turbæ deplangunt. *Illud etiam testatum velim, non fuisse animum Baronij doctrinam toto terrarum orbe satis vulgatam, sed eius vitæ morumque probitatem hoc qualicumque scripto latius celebrare. Vnum oro, quicumque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris apud Deum memineris, qui multa de Baronio & socijs eius & audiuit & vidit, & scripsit, & tamen in virtute nihil profecit.*



Im-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Sac. Palatij Apoſtolici Magiſtro.

Aſcanius Riualdus Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Magiſter, & Sociu Reuerendiſs. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Palatij Apoſt. Magiſt. Ordinis Prædicatorum.

AV-

AVCTORIS PROTESTATIO.


VM fel. rec. Vrbanus VIII. die 13. Martij, anno 1625. Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij, anno 1634. quo inhibuit imprimi libros, hominum, qui sanctitatis, seu martyrij fama celebres e vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine cognitione, atque approbatione Ordinarij; & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij, anno 1631. ita explicuerit, vt nimirum non admittantur elogia sancti, vel Beati, absolutè, & quæ cadunt super personam; bene tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes auctorem. Huic decreto, eiusque confirmationi & declarationi, obseruantia ac reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hisce Historijs refero, accipere, & accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nituntur, præsertim reuelationes gratias & miracula in hoc opere contenta, ijs tantummodo exceptis, quæ de his referuntur quos eadem S. Sedes Beatorum catalogo adscripsit.

DE VITA CAESARIS CARDINALIS BARONII

LIBER PRIMVS.

Ortus eius, & educatio. Caput I.



ORA olim Volſcorum, deinde Campaniæ Vrbs antiquiſſima, domi militiæque inclytos ciues habuit, in his Baream Conſularem, virum, atque Aſiæ proconſulem, quicum virtutem ipſam impius Nero excindere viſus eſt, & Seruiliam huius Bareæ filiam ſpectatæ pietatis Virginem cum parente optimo pariter necatam, nec tam magicæ artis (vt creditur) quàm Chriſtianæ fidei damnatam: Alios præterea in omni memoria viros clariſsimos aluit, vt ex veteri hiſtoria ſacriſque tabulis accepimus, præſertim ex nobili Baronorum familia, quorum pietate, & munificentia quadringentis iam annis amplius celebre Monaſterium Caſemarij in Soranis finibus large locupletatum eſt. Huius familiæ Princeps Camillus Baronus homo in primis honeſtus ex Portia Phœbonia raræ nobilitatis, & probitatis fœmina vnicum ſuſcepit filium Cæſarem Baronum, ſiue potius, vt ipſe appellari maluit, Baronium, cuius vitam, moreſque literis tradere iubemur ab ijs, quorum imperata detrectare nobis religio eſt, anno poſt Chriſtum na-

tum M.DXXXVIII. prid. Kal. Nou. Paulo III. Pont. Is qua demum pietate & sanctitate Dei Ecclesiam illustraturus esset, illud fuit indicio, quòd quotiescumque Beatæ Virginis ædem pia mater adibat, toties insolito quodam motu, quasi Ioannes alter, infans in vtero mouebatur; quamobrem illa rei nouitate permota vbi Cæsarem in lucem edidit, eidem Virgini sacratissimæ statim obtulit, & dicauit: quod quidem religiosæ matris obsequium, ratum, gratumque Dei Matrem habuisse paucis post mensibus ostensum est: vixdum enim Cæsar biennium excesserat, cum morbo grauissimo opprimitur, vt plane iam iam moriturus videretur: ardens dolore mater (quæ ipsius pietas, & fides erat) extemplò ad Beatissimæ Virginis ædem aduolat, vulgò ad Vallis radicem appellatur, & mille passuum Vrbe distat, iacentem in cunis infantulum, ac pene mortuum secum defert, triduum ipsum ibi cum socru pariter atque alijs orando, atque obsecrando perseuerat: nec frustra; adest precibus Virgo pietatis Mater, atque emissa e cœlo hac voce miseræ parentis lacrymas consolatur; filius tuus viuit; sic factum, quandoquidem subitò quasi reuixit infans, atque e morbo grauissimo emersus recepta quam amiserat voce matrem inclamitare cœpit; accurrit illa, continuò filium conualuisse videt, atque admiratur; quamobrem debitas Virgini gratias agit, & gaudij plena cum puero, & socijs domum reuertitur: exinde tam præclara in se Dei Matris clementia, & benignitate Cæsar inuitatus (hæc enim omnia a parentibus acceperat) vbi primùm adoleuit, in eius maxime fidem, & clientelam se contulit. Cæterùm quò facilius omnes perciperent singulari Ecclesiæ bono puerum seruatum, atque adeo renatum, haud ita multo post contigit, vt peregrinus quidam rudi, atque inculto

culto oris, & corporis habitu ad paternas Cæsaris ædes cum venisset, eumque intentis oculis intuitus, crucis figura in fronte signasset, magnum hunc in Ecclesia Dei virum futurum esse prædixerit; quamobrem, vt in eius educatione studium omne collocarent, parentes etiam atque etiam hortatus est, mox quæsitus, qui hæc dixerat, non potuit inueniri. Igitur bona mater filium, quantulum illa ætas capere poterat, ad omnes virtutes exercebat, vtque ab infantia cum eo pariter cresceret miseratio, eleemosynas in pauperes per illum distribuere consueuerat, sæpe etiam in vicos, & plateas Ciuitatis exire iubebat, pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos vndique conuocare, & domum suam reficiendos, recreandosque perducere, quæ omnia ille tam prompto, atque alacri animo peragebat, vt Ciues planè vniuersos ad amorem sui pariter atque admirationem excitaret.

Ad Verulanam Vrbem, mox Neapolim, deinde Romam studiorum causa mittitur. Cap. II.

CVm interim Cæsar magnæ atque excelsæ indolis satis clarum specimen daret, ad Verulanam vrbem à Patre mittitur, nouem ferè millibus passuum ab Sora: ibi se in humanioribus literis, aliquandiu exercuit: Inde octodecim annos natus Neapolim petijt, vt ad grauiora legum studia animum intenderet; nec vero ille more iuuenum, præsertim scholasticorum, socordia atque desidia bonum otium conterere, sed ad sua studia toto pectore incumbere, paruoque contentus, quod in adolescente ad-

mirere, quotidiano victui aliquid subtrahere, vt & aliquam sibi librorum copiam pararet, & cui publice docenti operam dabat, eundem pacta mercede priuatim quoque domi audire liceret: verùm anno post, quòd nouo bellorum tumultu Neapoli studia literarum, atque adeo omnia turbari viderentur; solum vertere cogitur, &, patre iubente, in Vrbem venit, vbi procul armis, procul omni tumultu, Cæsareo pariter, ac Pontificio iuri totum se dedit, duce, ac præceptore Cæsare Costa, qui deinde meritò Capuanæ Ecclesiæ Archiepiscopus electus est. Hanc ille sedem semel sortitus adeo constanter dilexit, atque retinuit, vt quicquid deinde in literis, moribusque profecit, huic vni acceptum retulerit; quemadmodum ipse, data occasione, post eandem Vrbem egregie laudatam diserte testatur his verbis: *Mihi certe de Vrbe illud liceat haud ingrato fateri, quod de Athenis Gregorius Nazianzenus affirmat, nimirum Roma ipsa, etsi aliquibus fortasse perniciosa fuerit, mihi certe gemmea, omnique ex parte beata, atque proficua semper extitit, vtpote quæ me plenæ pubertatis adolescentulum vagum, & infrænem excipiens, mox sub Christi iugo redactum, alumnum, quem suscepit, edomuit, sedula magistra morum existens, ac literarum; vt plane intelligam, quòd minus in vtrisque profecerim facultatibus, mihi cedere culpæ, non Vrbi.*

Sanctum Philippum adit. Cap. III.

FLorebat per eos dies Romæ Philippus Nerius, is quem nostris temporibus cęlitibus adscriptum veneramur, quem ipsum Oratorij Congregatio Parentem agnoscit, & morum sanctitate pariter, ac suaui-

ſuauitate innumeros Chriſto filios pepererat: hos, vt ad virtutem in dies proueheret, crebris hortationibus, Deique verbo alere, atque educare ſtudebat; quamobrem multi ad eum audiendum ædes Sancti Hieronymi, quas vulgò Charitatis appellant, vbi tum Philippus agebat, quotidie frequentabant: in his Marcus Soranus, cuius initio pietas enituit, quamquam haud diu in propoſito perſeuerauit; is nihil antiquius habuit, quàm vt Cæſarem ciuem & amicum ſuum ad Philippum adduceret; quòd nimirum ex virtute atque amicitia tanti viri non mediocrem vtilitatem adoleſcentem capturum ſperaret. Philippus, qua erat humanitate atque hilaritate, adeuntem ad ſe iuuenem complectitur, atque eo ipſo die Cæſaris animum vſque adeo deuinxit, vt ad eum deinde frequens veniret, & ab illius conſpectu diuelli vix poſſet. Quamobrem ex viri ſanctiſſimi conſuetudine, & familiaritate tantum virtutis, & pietatis ſtatim hauſit, vt continuò mortalibus rebus nuntium remittere, & in auſteriorem aliquam religioſorum familiam ſe recipere cogitauerit; quod & perfeciſſet, niſi Philippus quem aliò vocatum a Deo intelligebat, retinuiſſet, atque adeo currentem ſæpius retraxiſſet; ſcilicet excelſus animus, & amore virtutis incenſus pulchritudinem, ac ſpeciem religionis vehementius, quàm conſideratius appetebat: itaque eodem Philippo iubente, nec literarum ſtudia intermittere, nec de Chriſtianæ vitæ ſeueriori diſciplina aliquid remittere, ſed doctrina pariter ac pietate animum excolere, quarum altera alteri, ſiquidem ratio & modus adhibeatur, magnum adiumentum afferre conſueuit.

Aegrotos visitare iubetur. Cap. IV.

CVm igitur Philippus de antiqua illa Christianorum charitate reuocanda seriò cogitaret, quæ in subleuandis proximorum miserijs præsertim enituit, ex suis aliquot in singula Vrbis valetudinaria distribuit, vt alij aliò ægros & pauperes sæpius inuiserent, eorumque mensis astarent ministrarentque, & amicissimis verbis quà animum, quà corpus reficerent: in his & Cæsar allegitur, quem quotidie ad nosocomium S. Spiritus adire Philippus iubet, decumbentes inibi mane, & vesperi visitare, eosdemque omni ope, & diligentia adiuuare: nihil plane iucundius, nihilque gratius accidere potuit iuueni suopte ingenio ad pietatem currenti. quamobrem ex hoc tempore omnino numquam vnum intermisit diem; quin certis horis ægris ibidem præsto esset, iisque res omnes alacri, & prompto ore atque animo ministraret; nam vbi primùm aduenerat, continuò linteatus quaquauersum discurrere; assidere languentibus, deficientes fouere, consolari; mox fercula inferre, & grauiori morbo oppressis, ac prope enectis, pretiosa instillare liquamina, lectulos sternere, nec quidquam prorsus omittere, quod miserorum corporibus, animisque curandis opportunum videretur; vt plane mirum non sit (quod ipsemet publice testatum reliquit) sæpius illum haud leuiter ægrotantem, & febre etiam æstuantem ad nosocomium accessisse, mox indidem non modo discussa febri, sed vel optime valentem domum reuertisse; noluit siquidem Deus propriæ salutis iacturam vllam pati, qui magno suo periculo consuleret alienæ. Erit autem operæpretium

hoc

hoc loco cognoſcere, quemadmodum per hos ipſos dies ægroto corporis iuxta atque animæ ſalute periclitanti ſubuenerit. Reuerterat aliquando ex eodem nofocomio ad Philippum, ſolemnem peccatorum ſuorum confeſſionem peracturus, vbi eum videt Pater, continuò, faceſſe (inquit) ad valetudinarium, audiam te poſtea. nihil eſt Pater (ait Cæſar) quamobrem illuc eatur, pranſis, & iam dormitantibus ægris. faceſſe modò (ſubijcit ille) ne quid vltra requiras; paret iuuenis, ad locum venit, & quamuis nihil prorſus occurreret, quod ad ſubleuandos ægrotos opportunum videretur, hærere tamen adhuc, & cunctari, lectulos ſingulos propius inſpicere, ſi quem forte decumbentium reperiret, cui vtcumque ſuccurreret; tanto nimirum ſtudio obedientiæ incenſus erat; vt fruſtra ſe acceſſiſſe ægre ferret, & loco excedere non auderet. ecce autem miſerum hominem videt grauiſſime laborantem, & propter illum ſacrum cereum de more lucere. accurrit illico, & morienti ad aurem accedit, afflictum, & iacentem excitat, ad patientiam hortatur, numquid velit rogat, num omnia Chriſtiano ritu impleuerit, atque Eccleſiæ Sacramenta acceperit. Ille veluti e graui ſomno emerſus tantiſper ſe colligit, atque intermortuis vocibus, Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ ſacramenta ſe ſe haud ſuſcepiſſe conqueritur. Nec mora, acceſito Sacerdote ſacra ſtatim confeſſione expiatur, ſanctiſſimoque viatico munitur, mox feliciter decedit. venerat porro is pridie eius diei, alieno tamen tempore, ad noſocomium, atque a miniſtris per obliuionem inconſulto Confeſſario in lectulo collocatus in eum mox ſtatum peruenerat, vt vix tamdiu ſuperfuturus videretur, quoad ſacro infirmorum oleo inungeretur, itaque poſt extremam vnctionem adminiſtratam, quaſi iam conclamatum eſſet, fuerat

ab omnibus derelictus, decessurus vtique absquo alijs Sacramentis, nisi diuina pietas rem totam Philippo aperuisset, atque ea ratione misero succurrere decreuisset. Tum vero intellexit Cæsar, quamobrem illuc a Philippo missus esset, qui scilicet diuino lumine prædìtus plus multo videret, quàm quantum humanorum oculorum acies intueri potest. Igitur admirationis, ac lætitiæ plenus ad Patrem redit, quemadmodum res ceciderit, sigillatim refert, cui Philippus, disce ergo obedientiam (inquit) & si quid interdum iuberis, impigre exequere, neč quidquam vltra quærito.

Ardor Charitatis in Adolescentia. Cap. V.

IN hac porro Christianæ humilitatis, & charitatis palæstra, in qua Philippus, quicumque salutis viam ingressuri essent, eos primò exerceri maxime voluit, per nouem continuos annos Cæsarem detinuit, vsque eò scilicet, dum Sacerdos ex obedientia factus, & grauioribus Ecclesiæ curis præpeditus ad eum locum itare quotidie prohiberetur. Hinc igitur breui tam vberes fructus demessuit, vt ipso ferme initio, quo valetudinarium eiusmodi frequentare cœpit, velut conceptis indidem flammis amore in proximos totus arderet; quamobrem & omnia libentissime impendere, & superimpendi ipsemet ad eorum sustentationem & salutem, cum Apostolo vehementer optabat; id quod quotiescumque se dedit occasio aperte demonstrauit. Contulerat se aliquando in Ecclesiam Sancti Iacobi Nationis Hispanæ auditurus ibidem concionantem Alphonsum Lupum e Capuccinorum familia

spe-

ſpectatæ eloquentiæ iuxta ac probitatis virum, & ad permouendos animos natum. Is prima concionis parte abſoluta (vt mos eſt) auditores vehementer hortatur, vt eleemoſynam largius faciant, & pro ſe quiſque auro, argento, ære, veſte, ſummam quorumdam egeſtatem ſubleuare conentur. Vixdum ille concionem dimiſerat, cum ſtatim Cæſar miſericordia commotus, quod ad largiendum, neque pecunia, neque aliud quidpiam ſuppeteret, domum aduolat, quas nuper a matre acceperat tres ſubuculas celeriter arripit, ad concionatorem defert, eidemque humiliter offert, ſuam præterea inopiam excuſat, quòd maiora, quæ dare cuperet, non haberet. Obſtupeſcit Lupus tanta animi liberalitate, ac pietate, tamen pro tempore admirationem diſſimulat, rogat nomen, parentes, patriam, ſtatum; mox iuuenem amplectitur, gratias agit, & pollicitus operam ſuam a ſe dimittit. Poſtridie vero e ſuggeſto palam, ac publice rem totam, quemadmodum ceciderat, narrat, ne præterito quidem Cæſaris nomine, eundemque laudibus ad cœlum tollit, hoc amplius addens; præclarum huiuſmodi facinus magno Deum præmio remuneraturum, atque optimum adoleſcentem ad honores ampliſſimos proucecturum. Proinde (inquit) vbi hæc videritis, Auditores, tum ea quæ diximus mementote: id quod a Viro grauiſſimo, eodemque religioſiſsimo dictum tanquam ex oraculo tunc ab omnibus acceptum, mox & cumulatius nos ipſi vidimus impletum. Nec minorem in proximos charitatem Cæſar oſtendit, cum miſeros quoſdam per æſtiuos dies ligna ſecantes, eoſdemque multo ſudore madentes e feneſtra deſpexit, veritus enim, ne quid illis, vel ad ſudorem detergendum non ſuppeteret, quod in tenuiſsima ſupellectili lineum conopæum habebat, ſæpius

pius eadem occasione in frusta concidit, atque in singulos distribuit; suam nimirum oblitus penitus, dum in alienam acrius intendit inopiam. Multa præterea suppetunt egregiæ pietatis, & charitatis exempla, quæ nos aliò consultò reiecimus; hæc tamen paucula recensere, ac veluti libare hìc satius duximus, vt vel hinc facile intelligere liceat, quantum deinde ad vitæ perfectionem proficere potuerit; qui iam tum adolescens tam alta virtutis fundamenta posuerat.

Propter Christum vexatus miris modis ad virtutem proficit. Cap. VI.

SEd iam nouus miles ex hac domestica exercitatione & vmbratili in castra, atque aciem fuerat educendus. igitur, quod olim Hebræis profectionem ex Aegypto parantibus vsuuenit, vt scilicet durius quotidie affligerentur adeò vt etiam paleæ ipsæ subtraherentur, hoc plane accidit Cæsari sæculi fugam meditanti, & salutis viam molienti. vbi enim ad Patrem Soræ (vt diximus) commorantem perfertur, filium humanis rebus nuntium remisisse, & ad spirituales exercitationes totum se contulisse, illico exardescit ira, plenas stomachi & querelarum ad illum literas mittit; obiurgat grauiter, quòd incepta legum studia omiserit, quod nouum vitæ genus instituerit, & quidem asperioris, quamobrem animi iuxta, & corporis ægritudines, maciemque contraxerit: multa addit præterea, quæ alienatum ab ipso atque offensum grauiter animum ostenderent. Contra verò Cæsar molli responsione iram sæpe frangere edoctus, submissionis, atque humilitatis plenissimas literas rescribit.

bit. de macie se breuiter purgat: neque abstinentia, neque ieiunio, aut alia qualibet re se illi causam dedisse, nisi forte hinc maxime pallor oriretur, quòd piscibus per eos dies, copia inuitante, vesceretur vltra quàm satis esset, atque homini natura pituitoso expediret; de studijs & pristino labore nihil remissum, vestitu se haudquaquam sordido, sed quàm decentissimo vti. Cæterum hoc sibi iam olim stetisse, virorum bonorum instituto viuere, atque a frequenti Sacramentorum vsu numquam recedere: id sibi certum & definitum esse, si exhæredari, si bonis omnibus spoliari se videat; proinde si sapiat, non modo tristitiæ, aut doloris, sed ingentis lætitiæ oblatam sibi occasionem intelligat, & largitori bonorum omnium Deo gratias agat; plura in eandem sententiam Cæsar iterum, ac sæpius scripsit, quibus tamen pater nihilo placatior factus, eò iracundiæ tandem furorisque processit, vt paterna charitate, atque adeo omni exuta humanitate, adolescenti optimo, eidemque filio innocentissimo alimenta subtraxerit. Neque vero Cæsar ea re vehementer commotus, sed veluti iam ablactatus a lacte, auulsus ab vberibus, maiores quotidie faciebat in solida virtute progressus, & vt minimum sibi humanæ fiduciæ supererat, ita diuino præsidio maxime nitebatur, Dauidicum illud serio cogitans: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet:* nec spes eum fefellit; vbi enim Philippus iuuenis inopiam, & solitudinem vidit, illico ad eum subleuandum animũ adiecit, & Io. Michaeli Parauicino nobili Viro intime commendauit. Is, vt erat Philippi amantissimus, Cæsarem continuò domi suæ recepit, eumque officijs omnibus quasi filium, toto fere septennio aluit, ac sustentauit. Ille tam liberale, atque adeo paternum hospitium nactus, sua studia impensius colere, nec tamen a studio pieta-

pietatis, & sanctitatis transuersum vnguem (quod aiunt) discedere, ad consueta charitatis officia assiduas orationes adiungere, plures hebdomadæ dies ieiunare, noctu vigilias agere, flagellis se acerrime cędere, & ne repugnantem grauior somnus opprimeret, duros, atque asperos lateres defatigato iam corpori substernere, quos linteis, & stragulis eleganter tegebat, quò facilius domesticos omnes specie munditiæ, ac politioris elegantiæ falleret. Incredibile dictu est, quantum vtilitatis ex Cæsaris contubernio tum Parauicinus ipse, tum reliqui ex eius familia perceperint, quandoquidem optimus iuuenis, quà dictis, quà exemplis singulos ad virtutem excitabat, vt plane visus sit, non tam beneficium accepisse, quàm dedisse. Nihil porro antiquius habuit, quàm vt Parauicini eiusdem filios adhuc pueros ad omnem virtutem ac religionem informaret; quod felix deinde singulorum euentus demonstrauit; ex his vero Octauium maxime excoluit, quòd eum præsertim (parentibus pueri ita volentibus) in Sacramento confirmationis spirituali sibi affinitate coniunxerat, quamobrem omni studio, ac diligentia enitebatur, vt cui se sponsorem ad salutem præbuerat, eidem se in omnibus, & ducem, & monitorem præberet. operæ pretium est hoc loco Cæsarem epistola quarto Annalium tomo præfixa Octauium ipsum alloquentem audire, in qua, & se iam inde ab adolescentia immortali beneficio ab eius parentibus ornatum profitetur, & ex ea arbore, quæ olim in eius solo diu coaluisset, fructus offerre. præterea meritò se illi Annales exhibere, *Cum alioqui* (inquit) *recorderis, te puerum olim decerpsisse eorumdem tenella manu primitias, dum in candidum illum cupidumque discendi animum tuum res gestas sanctorum Patrum quotidianis sermonibus instillarem, quas in nostri Oratorij auditorio mira*

venu-

venuſtate, atque lepore magna audientium voluptate, ac plauſu conſueuiſti annis pluribus recitare, admirantibus cunctis in puerili ætate ſenilem in dicendo maieſtatem, atque facundiam, iunctamque cum ſimplicitate prudentiam. Talibus namque tantiſque primordijs tua meruit pueritia conſecrari, cum & non vnius Chironis manus, ſed certatim plurium ſanctiſſimorum virorum ſedulitas, ſumma induſtria, & aſsidua ſolicitudo longo tempore ad pulcherrimum virtutis exemplar te componere, atque efformare ſtuduerint. At cum adoleuit ætas, maiore incremento propagata virtutum, optime accidit, vt antequam conijcere poſſet in te oculos Aegyptia petulans, virgo illa caſtiſsima non habens maculam, neque rugam Dei Eccleſia te ſuis præuenerit optatis amplexibus, arctoque amoris nodo deuinxerit, cum ſacris Ordinibus obligauit, aſtrinxerit verò tenacius, cum, vt primùm per ætatem licuit, te ſibi adiunxit in Sponſum ſpiritualium fœdere nuptiarum; cuius ſacri connubij pronubum eſſe voluit magnum illum Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum S. R. E. Cardinalem dignæ memoriæ Carolum Borromæum. Pergit deinde in eius laudes, & honores ampliſsimos recenſet, ad quos euectus eſt: donec, *Agentem* (inquit) *tanquam Abraham in montanis* (ad Heluetios à Pontifice miſſus fuerat) *operi inſtantem, atque laboribus inſudantem ex inopinato quæſiuit te tui cupida diu purpura, non tu illam, ornauit te, quò ipſa tuis virtutibus ornaretur.* Hæc ille, quibus ſuametipſe merita fateri cogitur, dum alienas proſequitur laudes. Siquidem filij gloria, & laus ad patrē quaſi ad fontem recurrit, atque Eccleſiaſtici verbo, Deus patrem in filijs honorare conſueuit. Igitur dum apud Parauicinum degeret, quotidie magis magiſque in ſolida virtute promouebat, adeo vt ſummam in ſe domeſticorum admirationem excitaret. Ex multis autem, quæ ibidem præclare geſsit, longe omnium præclariſsimum illud eſt, quod, vt & ſuæ & aliorum caſti-

castitati vsquequaque prospiceret, integer, & purus adolescens liberè ausus est. In interiori ædium parte, quam præsertim pueri, & Cæsar ipse frequentabant, tabulis parietes vestiebantur, quibus, (vt in licentia hac temporum) seminudæ quædam corporum imagines inerant, & quidem liberius depictæ, quàm vt Christianus pudor ferre posset: has vbi nouus hospes inspexit, primùm ipsemet aliena impudentia erubescere, & secum fremere, mox impatiens moræ quæcumque pudicos oculos offendere poterant suffusis vtcumque coloribus illico obtexit: interim pueri non sine querelis rem ad matrem perferunt; illa castum, & purum adolescentis animum admirata, optime factum (inquit) filij, nec maculauit Cæsar tabulas, sed emaculauit, non infecit, sed perfecit. agnouit nimirum sapientissima femina summam iuuenis virtutem, & prudentiam singularem, qui castitatis pericula longe prouideret, & sanctissimorum exemplo virorum fœdus cum oculis suis pepigisset, ne qua per eos perniciosa pestis in animum insidiose subreperet; eo igitur studio ea diligentia, qua Cæsar oculos pariter, & cæteros sensus arctissime continebat, ad tantam animi tranquillitatem, ac securitatem peruenit, vt vbiubi esset, continuò solutus, & liber in cœlestium contemplationem raperetur, solitus sæpissime in apertam porticum se recipere, atque in eodem vestigio diu insistere, vt plane abstractum a sensibus mentem in Deum defixisse penitus appareret.

In

In ædibus Charitatis de rebus diuinis sermones ad Populum habet. Cap. VII.

INterea Philippus & vitæ sanctitate & mira ingenij suauitate, qua potissimum ad animos demerendos factus videbatur, plures quotidie a lata sęculi via ad arctam salutis semitam traducebat, & iamtum ea erat hominum frequentia, vt de ampliori loco, quo adeuntes ad se reciperet, ei cogitandum fuerit; itaque oblata sibi facultate in ipsis ædibus Sancti Hieronymi supra dextrum templi fornicem commodiorem ædiculam extruendam curauit, in quam quotidie certis horis optimi viri, tum ad sacras preces, & collationes, tum etiam ad Sanctum parentem audiendum conuenire consueuerant. Placuit tandem Philippo ex suis aliquot ad id muneris socios adhibere, in his Franciscum Mariam Taurusium, & Ioannem Baptistam Modium, conditione illos quidem, atque externo corporis cultu Laicos, sed animo tamen & virtute religiosissimos viros: mox & Cæsarem adlegit, ipsum quoque nullo Ecclesiastico ordine insignitum, annos natum non amplius viginti, cuius tamen adolescentiam, (quod olim de Timotheo dictum) nemo sapiens sperneret, quippequi indolis magnitudine, morumque maturitate, si quid deesset ætatis, satis superque compleuerat; igitur, vt parenti optimo obtemperaret, de rebus diuinis in Oratorio dicere cœpit nullo prorsus apparatu verborum, sed pure, simpliciter & familiariter, vtpote qui cominus, & quasi ex æquo loco, quod ipse postea ad Sixtum Pontificem scribit, cum vnoquoque agi optime intelligeret; verumtamen is erat orationis impetus, adeò graue senten-

tentia-

tentiarum pondus, tantus denique ardor e vultu atq; oculis emicabat, vt auditorum animos ad amorem virtutis, & pietatis acriter inflammaret. Die quodam primarius Romanæ Curiæ Præsul, tresque alij nobiles viri præter consuetudinem ad Oratorium cum venissent, atque obiter Cæsarem grauiter disserentem audissent, tam subito æternæ salutis desiderio exarsere, vt continuò mortalibus rebus abiectis, velut ex longa nauigatione in tranquillum Religionis portum non sine omnium admiratione se receperint; idem plane alijs compluribus vsuuenit, vt nimirum audito Cæsare statim resipiscerent, & longe alij, quàm accesserant, demum recederent.

Quæ vitæ ratio sibi ineunda esset mirabiliter edocetur. Cap. VIII.

INter hæc Cæsarem Religionis ingressu non semel prohibitum grauis coquebat cura, quid ageret, quodnam potissimum vitæ genus animo deligeret. dum enim historiam Ecclesiasticam perlustrat, & in ea tanquam in speculo sanctorum virorum vitas inspicit, mirum, quantos illi amores religionis præclara aliorum exempla excitauerint; quamobrem dies noctesque Deum, ac superos omnes, tum precibus, tum lacrymis obsecrare, vt qua demum ratione vita sibi instituenda esset, clementer ostenderent. deinde, quasi explorata iam Dei voluntate, modo hoc, modo illud austerioris disciplinæ Cœnobium præoptare, & iam eò se propemodum inferre: Philippus tamen feruido adolescenti constanter obsistere, & veluti adductis habenis rapide currentem compescere; quod quidem multi, cæteroqui religiosi viri adeo non proba-

runt,

funt, vt apud illos nec leuiter Philippus offenderit, quasi homines plus æquo cohiberet, atque ab ingressu religionis reuocaret; næ ij longe aliter de viro sanctissimo, ac sapientissimo existimassent, si quæ illi diuinitus patebant, eadem ipsi pariter penetrare potuissent; sed ita fere sunt hominum ingenia, vt & de alijs promptius quisque iudicet, nec mitiorem in partem quidquam facile interpretetur. Igitur toto fermè triennio eo æstu, curaque iactatus, denique ad Philippum venit, & sacra confessione expiatus, obsecro te (inquit) Pater, hunc mihi ex animo scrupulum exime, qui me dies noctesque pungit, ac stimulat: cedò tandem, quæ sit de me voluntas Dei, quam potissimum vitæ rationem inire debeam, vt Domino meo inseruire gratius possim; cui Philippus: Age, age; Constantium consule; hic profecto diuinum tibi consilium aperiet: erat is Constantius Tassonius homo in primis nobilis, sed Christiana virtute nobilior, addictus Philippo discipulus: abit ad hunc Cæsar, & tum forte ibidem in Ecclesia Sancti Hieronymi rem diuinam faciebat: qua peracta, accedit ad eum iuuenis, quæ a Philippo afferebat, enunciat: At ille, magni consilij res est, inquit, multa, ac diligenti prece a Deo hoc petendum: quamobrem in tempus aliud differri desiderium tuum, quæso, æquo animo patere: aderit profecto orantibus seruulis Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis nos affatim consolabitur. Acquieuit parumper Cæsar, mox iterum instare, vrgere vtcummaxime: eum tamen vir optimus in quinque alios menses amicissimis verbis extraxit; demum pridie eius diei, quo Paulo ad Christum conuerso tota gratulatur Ecclesia, Cæsar, qui Apostolico plane spiritu iamdudum clamitabat: *Domine quid me vis facere*; exoptatum diu responsum a Deo verius, quàm

ab homine accepit: porro res ita se habuit, ea quam diximus die, solemnibus in Oratorio sermonibus absolutis, dimissa concione, Philippus in apertum de more exiturus cum suis, erant tum ij fere septuaginta, ad Sancti Pauli extra Vrbem iter intendit, quò quidem vbi tandem venere, adorato numine, fusisque ad aram Apostolorum rite precibus, dum templi limen excedunt, Constantius diuino spiritu afflatus manu Cæsarem apprehendit, ac seducit humaniter; mox quasi Ananias alter Deum sibi e Cœlo dicentem audisset, *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum*: iampridem a me (inquit) responsum, Cæsar, expectas, sed ita rei magnitudo postulare videbatur, vt, nisi post longam consultationem, multasque ad Deum preces, de re omnium grauissima statuendum omnino non esset; nunc demum pro certo habe, ad Religionem te neutiquam vocari, sed ad eam dumtaxat vitæ rationem, vt sacerdotio initiatus, doctrinæ, & Sacramentorum cœlesti pabulo proximos alas, atque educes. Agedum vocantem Deum alacri ac prompto animo sequere. Hæc Cæsar a Constantio tanquam ab oraculo accepit: mox ad Philippum retulit, qui id omne ratum sibi gratumque esse respondit; itaque perspecta iam atque explorata Dei voluntate acquiescere penitus Cæsar, nec animo quicquam vltra moliri, aut dubitare; sed Philippi sapientiæ, fidei, potestatique sese committere, qui iampridem, quod ipsemet Cæsar testatum reliquit, & nos suo loco dicturi sumus, rem totam apud Deum egerat; etsi abdicasse iam & ad Constantium reiecisse videbatur; scilicet humilitatis amator acerrimus, laudúmque suarum iuratissimus hostis miris modis gloriam declinabat.


Fit clericus, propterea patris offensionem incurrit, quem litteris placat. Cap. IX.

QVamquam autem Cæsar diuini consilij certus, religionis ingrediendæ cogitationem omnem abiecerat; tamen illius studio, quo tamdiu, tamque acriter flagrauerat, facere non potuit, quin Philippo semetipse perpetuo obedientiæ voto manciparet, quod deinde religiosissimè custodiuit. Interea vbi primùm licuit per clericalem tonsuram aditum sibi ad minores Ordines aperuit, quibus susceptis, sacro Subdiaconatus ordine initiandus ad parentes scripsit epistolam Christianæ pietatis, ac diuini spiritus plenam, in qua totam vocationis suæ seriem explicat, quamdiu de ea deliberatum fuerit, ostendit, quemadmodum Dei voluntatem, & diligentissime explorauerit, & aperte demum perspexerit, quantæ sanctitatis, quantæque prudentiæ virum consilij sui ducem sequatur; quamobrem Dei voluntati libenter acquiescant, ac proinde longè ampliora ab eo præmia expectent, quàm quæ mundus hic fraudis, & fallaciæ plenus miseris mortalibus pollicetur; plura in hanc sententiam Cæsar, quæ ex eadem epistola per se quisque petere poterit in extremo hoc libro, digna prorsus quę ab omnibus legantur. Acceptis litteris pater eo Cæsaris consilio grauiter animo commouetur; quippe qui vnicum filium alijs nuptijs destinauerat; multa cum eo per epistolam expostulat, quòd se inscio, se inconsulto de re grauissima consilium cœperit, quòd neque domesticum commodum, neque parentum spem in se vno collocatam quicquam cordi habuerit:

ad hæc id omne in filium congerit, quod subita & præceps ira dictare potuit. Cæsar animo placidissimo quæcumque rescribit pater, æqui boniquе facere, iterum ac tertio eum per litteras consolari: ea de re se idcirco certiores domesticos non fecisse, ne qua illis maioris perturbationis daretur occasio, ne scilicet humano quodam affectu ab ratione longius abducti; ac subito impetu in trāsuersum acti Spiritui Sancto resistere temere auderent: quamobrem in diuinam indignationem inciderent. Si quid tamen in hac re peccatum esset, delicti veniam se humillime exposcere. Cæterùm maiorum suorum honore, ac reuerentia nihil vnquam antiquius sese habuisse, atque adeo habiturum esse in posterum; licet ab ijs reijci, licet abdicari se intelligat: Doctoratus lauream (siquidem ita iuberent) se demum suscepturum. hoc autem Cæsaris consilium, hæ litteræ longe aliter patrem, ac matrem affecere: hæc enim, quamuis initio tantisper commoueri visa sit, tamen obfirmato statim animo ad diuinam prouidentiam, & voluntatem omnia referebat, & in ea facile conquiescebat: quodque admirere, in fœmina, eademque vnici filij matre, de Cæsaris consilio adeo non doluit, vt plane gestire, atque exultare lætitia videretur; Dei scilicet gratia naturam superabat; & Christiana charitas maternum vincebat affectum: id quod, vt primùm Cæsar accepit, statim impertitam a Domino lætitiam per litteras gratulatus est matri, eamque iampridem ad omnem virtutem sponte currentem non semel scribendo incitauit. admonebat præterea, ne consueta pietatis officia desereret, sed vt quotidie largius, humaniusque victum pauperibus ministraret. Cæterùm meminisset, se cum pridem in hanc lucem editus esset, & sacro Baptismate recreatus, eiurato tenebrarum principe, Mundo, & pompis

eius

eius nuntium remisisse, atque in vnius Dei fidem & clientelam confugisse; quamobrem haud mirum videri debere, quòd nunc demum fidem suam liberaret, seque totum Regi Regum, & Domino Dominantium consecraret. Plura identidem Cæsar ad matrem, quòd crebras ab eo literas flagitaret, haud dissimili argumento, quæ plane diuinæ charitatis flammas expirant. Interim parentes cupido incessit illum in patriam reuocandi, quicum reliquam senectutem transigere animus erat: igitur eorum litteris, & precibus quotidie fatigatus, primùm quidem spe sui reditus eos alere, ac delinire, sed modò importunos calores, modò pericula itinerum excusare, deinde purgare se apud ipsos, orare, obsecrare, quantum filij salutem amarent, ne illi tam præclaram occasionem e manibus eriperet, qua nimirum ad omnem virtutem quotidie sese exercere optimorum virorum verbo, atque exemplo propemodum cogebatur; ne tenerum, & flexibilem adhuc ramulum ex naturali oleastro nuper excisum, insertumque in bonam oliuam, præpropere, atque in alienum plane locum transferri velint, cum præsertim Philippus, vir omnium iudicio sanctissimus prudentissimusque, ea de re longe secus existimaret, cuius nutum, atque imperium detrectare religio sibi esset; quandoquidem longo iam experimento, & suomet periculo compererat, quidquid annuente Philippo fieret, bene & feliciter euenire; si quid eo abnuente quispiam ausus esset, id demum pessime cecidisse: quamobrem pro certo se habere, si quid vnquam præter eius voluntatem commiserit, dæmones omnes, atque infernum ipsum in caput suum excitatum iri, statimque se diuinæ iustitiæ grauissimas pœnas daturum: contra verò eius consilio atque arbitrio dum regitur, omnia licet concurrant, omnino se nihil timere; his, alijsque



rationibus, vt sui desiderium æquo animo ferrent, parentibus non modò suasit, sed breui etiam persuasit.

Parentes & ciues suos ad omnem virtutem instituit. Cap. X.

QVamuis autem Cæsar longius a patria, atque a parentibus abesse videretur, animo tamen & charitate præsens aderat; & quos ad virtutem coram hortari non poterat, eosdem per litteras crebrò admonebat, atque inflammabat. Operæpretium est legere, quæ per hos dies ad patré, quæ ad matrem scripsit, profectò videas illum non tam stilum per paginas deducentem, quàm diuini amoris fulmina iaculantem: vt plane mirum non sit, quòd exinde eius parentes tantis cohortationibus incitati, abiecta rerum humanarum cura, ad cœlestium meditationem se conuerterint, atque in hospitali domo, quamdiu vixere, egenis, ægrotisque inseruire, cibos ministrare facultatibus sustentare, in omni denique officio charitatis & pietatis se se exercere studuerint; quorum exemplum optimus quisque admirari, nonnulli etiam imitari, improbi contra improbare primùm priuatim, mox publice ac palam impugnare; nimirum illud a Deo iampridem statutum est, vt *omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiantur.* Hanc verò hominum impiorum licentiam Cæsaris pater in spirituali militia etiamnum rudis, ac tiro diutius ferre non potuit; quamobrem ad eundem ea de re plenas querelarum literas dedit, quibus demum significabat, impudentissimos iamnunc aliquot eò insolentiæ processisse, vt non modò obtrectationibus se sociosque suos lacesserent, sed ne conuicijs quidem & sibilis abstine-

ſtinerent. Porro Cæſar agere & pati fortia, iamdudum cum didiciſſet, tranquilliſſimo animo omnia accepit; & qui ſuper ſenes intelligebat, eoſdem prudentiam docere cogitur: quamobrem ad patientiam patrem vehementer hortatur, monet, vt dæmonis malas artes agnoſcat, & veteratoris aſtutiam deludat: ſtet illud, virtutem ſine aduerſario marceſcere, charitati inuidiam plerumque ſe opponere, proinde reſumat animos, vſurpetque Dauidicum illud: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum* quicumque opprobria, contumelias, maledicta pro Chriſto fortiter ferrent, eos demum beatos eſſe: quibus nimirum dicitur ab ipſomet Domino: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater.* Ad hæc recentiſſimum exemplum ob oculos ponit: Spoleti in Vmbria, duos nobilitate & pietate longe clariſſimos viros eam ſibi vitæ rationem nuperrime præſcripſiſſe vt per vrbem totam ſtipem rogarent, & panem oſtiatim emendicarent, qua ratione pauperes miſeroſque alere, & ſuſtentare ſtudebant. Multa præterea Cæſar, ad parentes ſcripſit, quæ ad permouendum animum, pietatemque excitandam facere videbantur. Nec verò ille ſuorum dumtaxat, & maxime domeſticorum cura (quod Apoſtolus præcipit) contentus erat, ſed vniuerſorum etiam ciuium ſuorum præcipua quadam ſolicitudine vrgebatur, quorum corruptos deprauatoſque mores ſæpius per litteras queritur; quamobrem de Chriſtiana diſciplina in patriam reuocanda diu multumque cogitauit; & cum Sorano Epiſcopo acriter egit; quo annuente Marcum quendam ex ijs, qui nuper laudabili plano inſtituto, tum Romæ, tum alibi pueros, rudemque populum doctrinæ Chriſtianę præceptionibus erudire in Ec-

clesijs cœperant, Soram delegandum curauit, hominem spectatæ probitatis & charitatis. Hunc itaque parentibus cæterisque ciuibus suis ex animo commendatum voluit; & vt pro se quisque tum in sua tum in proximorum salute procuranda summo studio elaborarent, vehementer hortatus est. Adfuit cœptis Deus, & dum hic plantabat, ille rigabat, non modicum incrementum dedit.

Acta eius in ædibus S. Ioannis Florentinæ Nationis. Cap. XI.

INterea qui tum Romæ degebant Florentini ciues Philippum precibus quotidie solicitabant, vt templum Sancti Ioannis Baptistæ a Natione sua excitatum, curandum, gubernandumque susciperet, id quod diu frustra cum ab eo flagitassent; denique interposita Pontificis auctoritate obtinuere: paruit siquidem S. Pater, ea tamen conditione, vtne ab ædibus Sancti Hieronymi, quò vocatum se olim a Deo meminerat, discedere cogeretur, quamobrem e suis aliquot delegit, quibus eiusmodi curam administrationemque committeret, in primis verò Cæsarem, quem triennio ante sacro diaconatus ordine initiatum, ad sacerdotij gradum iussit ascendere: primus itaque omnium sociorum Sacerdos instituitur annum agens sextum & vigesimum, solemnique ritu in ipso Florentinorum templo Missæ sacrificium celebrat. eum deinde alij sequuntur, atque omnes pariter, Philippo iubente, in Florentinorum ædes commigrant. Incredibile dictu est, quantus in singulis amor erga Deum & proximos eluceret; virtute, labore, officijs inter se certabant; cæterùm admirabilis con-

concordia & conspiratio omnium in vinea Domini excolenda, duce simul ac moderatore Philippo, quem vt parentem singuli diligebant, omnesque pariter quotidie iterum iterumque adire consueuerant; præsertim dum frequentaretur Oratorium sancti Hieronymi, siquidem decennio post Florentini in suis ædibus nouum, atq; amplius Oratorium extruxerunt, eòq; spirituales nostras exercitationes transferendas curarunt. Igitur Cæsar sacro presbyteratus ordine suscepto, quasi instaurato ac renouato spiritu mentis suæ, ad omnem virtutem toto pectore incubuit, atque arctissimis nexibus se in Dei obsequium obstrinxit; quandoquidem ad solemne votum castitatis, quod sacris ordinibus initiandus emiserat, summamque obedientiam, qua se Philippo spontanea religione obligauerat, eam præterea paupertatem atque humilitatem Deo vouit, vt tenui patrimonio contentus, cæteris omnibus reiectis, congruentem pauperculo vitam degeret, & ab omni prorsus splendore alienam; quæ omnia quàm religiose custodierit; intuenti in eius vitam moresque facile apparet. illud autem hoc loco animaduerterim, eiusmodi vota ex singulari quodam spiritus feruore sponte sua eum suscepisse, non ex nostræ Congregationis instituto, quæ neque vllas adhuc leges acceperat, neque alijs vnquam astricta est vinculis, quàm amoris & charitatis: itaque perfectiorem atque excellentiorem hanc viam ingressus, humiliora & abiectiora quælibet munia prompto ore atque animo obibat; in templo scopis pauimentum purgare, parietes tergere, altaria exornare, vasa expolire, campanas pulsare solebat; non minus, non maius negligebat officium; domi autem, quòd inter Patres conuenerat, vt sua quisque hebdomada necessarium omnibus victum obsonaret, ministraretque; Cæsar

charitate feruentior, suo onere, suoque labore contentus esse non poterat, sed aliorum etiam officia atque hebdomadas infimis precibus redimebat: quin etiam beneficij loco petijt a Philippo, vt coquinariā administrare sibi perpetuò liceret; tum verò exultare lætitia, ac triumphare gaudio videbatur, cum in sordidis vilibusque ministerijs versaretur; igitur summa cum alacritate ac diligentia ipsemet cibos coëmere, parare, coquere; ligna subuectare, mensam ponere, atque epulis extruere; ipso promus, ipse condus, ipse omnia. crederes illum non in labore ac sordibus, non in fuligine ac fumo, sed in delicijs atque amoenitate, in honore, & gloria versari; tantumque ponderis & dignitatis officia eiusmodi habuere apud Cæsarem, vt in media coquina in ipsa fronte camini vncialibus litteris nomen suum inscripserit, seque ipse festiue præclaro hoc titulo cohonestauerit: *Cæsar Baronius Coquus perpetuus*; quamobrem sæpe fieri consueuit, vt qui ad illum veniebant, de studijs aliquid, aut de suamet salute eum consulturi, linteatum, atque adeò sordidatum inuenirent, patinas ollasque eluentem, atque hoc genus alia munera exercentem.

Conciones ad populum habere, & sacras confessiones audire iubetur.
Cap. XII.

HOc igitur vitæ instituto eò peruenit, vt qui diu sub modio modeste latuerat, iam demum supra candelabrum ponendus videretur in domo Dei. Itaque Philippus peruigilio Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi sub noctem ad illum mittit,

mittit, qui suo nomine nunciet moneatque; vt statim signo dato, postridie mane in Ecclesia e suggestu concionem ad populum habeat: ille ad Philippi nutum expeditus ac promptus, rei nouitate nihil commotus, non laborem, non temporis angustias excusauit, sed vna fretus obedientiæ virtute, quamuis numquam antea in Ecclesia e superiore loco dixisset, & impositum sibi munus libenter suscepit, & feliciter demum impleuit; id quod non rarò eidem vsuenisse compertum est; quandoquidem S. Pater nihil vnquam habuit antiquius, quàm vt filios suos ad suimet contemptum proueheret, atque ad altissimam illam spiritus paupertatem. Quamobrem modò hunc, modò illũ accersere cõsueuerat, atque ex tempore perorare iubebat. illud autẽ vel maxime admirere, quòd cum olim spirituales exercitationes in ipso B. Patris cubiculo fierent, essetque locus confluentium multitudine completus, recurrente præsertim Epiphaniæ peruigilio, Philippus extemplo Cæsarem de proxima solemnitate coram omnibus disserere iubet: Erubuit ille initio adhuc adolescens,& dicendi prorsus insolens, virtute tamen obedientiæ confisus statim animos sumpsit, & rem laudabiliter perfecit. Porro ex ea die, qua in Ecclesia concionem ad populum habuit, vnà cum Ioanne Francisco Bordino, qui deinde inuitus (quod infra dicturi sumus) Caballionensi, mox Auenionensi Ecclesiæ præesse iussus est, alternis diebus Dominicis Dei verbum e suggestu prædicare consueuit, & quidem tanto cum animi ardore, ac feruore, vt auditores prope omnes ad pietatem inflammaret, multosque ad Dei amorem a vitæ prauitate conuerteret: *non* enim *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* (quod ait Apostolus) *non in sublimitate sermonis* studium suum collocabat, *sed in ostensione spiritus & virtu-*

virtutis, nihil arbitratus se scire, nisi Christum, & hunc crucifixum. Ad hæc per hebdomadam sæpius in Oratorio Sancti Hieronymi de rebus Ecclesiasticis plano & facili sermone edisserebat, atque opportunis digressionibus certos identidem locos tractabat grauiter, ad corrigendos, componendosque hominum mores maximè accommodatos. Hoc ferme tempore sacras populi confessiones audire iubetur, quo quidem munere triginta amplius annos perfunctus est, summamque adhibuit diligentiam, vt quos semel Christo pepererat filios, eosdem spiritualibus nutrimentis in dies aleret, atque ad omnem virtutem educaret: ad hæc amoris, studij, pietatis nullum officium prætermittere, quo se vnicuique eorum gratum factarum intelligeret, vt plane alijs natus, sui propemodum oblitus videretur: quamuis autem continuo labore, multisque angustijs vndique premeretur, ea tamen erat lætitia, & iucunditas, quam ex spirituali suorum profectu percipiebat, vt defatigatum illius animum mirifice recrearet, omnemque molestiam penitus abstergeret: quamobrem per hos ipsos dies ad parentes scribens: *O vtinam* (inquit) *partiri vobiscum, & communicare liceat gaudium meum, quod quidem (fateor) verbis exprimere non possum: quicquid enim lætitiæ, quicquid oblectamenti, ac solatij in terris est, præ illo tristitiam, & mœrorem merum existimarim; vtinam quos dedit mihi Dominus in spiritu filios intueremini, mihi (inquam) hominum pessimo, ac flagitiosissimo, viros optimos, & diuinis virtutibus ornatissimos, vt profectò de me illud scriptum videatur*. Lætare sterilis, quę non paris, erumpe, & clama, quę non parturis, quia plures erunt filij sterilis, quàm illius, quæ habuit virum; *& quod olim Iacob, hoc ego quoque merito vsurpauerim*: In baculo meo transiui Iordanem istum, & ecce cũ tribus

turmis

turmis regredior; ea porro humanitate, atque effusa in proximos benignitate incredibilem sibi beneuolentiam omnium, præsertim verò Florentinorum ciuium comparauerat; quamobrem cum per hos dies ex altero genu grauiter laboraret, concurrere ad eum certatim omnes, & pro se quisque in eo subleuando & recreando curam omnem, atque operam ponere, vt in vnius salute salus vniuersorum, & vita consistere videretur. Ad hæc cum Caroli Cardinalis Borromæi litteris Mediolanum euocaretur (siquidem Vir sanctissimus Cæsaris virtutem satis perspectam habebat, & de sui gregis salute solicitus, eundem sibi socium, atque adiutorem laborum consiliorumque vehementer optabat) tantùm abfuit, vt eò se transferre potuerit, vt nec vnius dieculæ spatio Vrbe abesse permitteretur.

Oblatum sibi in Patria Canonicatum recusat. Cap. XIII.

DVm hæc Romæ gerit Cæsar, interim a Sorano Episcopo Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ inscius ornatur, agente nimirum patre, vt ea dignitate auctum facilius in patriam reuocaret; quamobrem ipsemet pater, ne qua moræ dispendia res pateretur, filij nomine negotium conficit, omnia eum deinde rata grataque habiturum spondet. Hæc vbi Cæsari nuntiata sunt, statim ad patrem litteras mittit, quicum grauiter queritur, quòd se inscio inconsultoq; rem non modò incœperit, sed etiam absoluerit; se antehac assensisse numquam, neque in posterum omnino assensurum; certum sibi, Philippo, quem in spiritu Patrem agnoscebat, ita volente, ita etiam

hor-

hortantibus amicis omnibus) Vrbe pedem non efferre. Interea Soranus Episcopus Romam venit, & cum Cæsare acriter agit, delatum sibi canonicatum ne recuset, officium, & pietatem erga patriam, & parentes ne deserat, ad ciuium suorum salutem omne studium curamque conuertat; multa pæterea Episcopus, vt eum omnino de sententia dimoueret; at ille modesto, ac placido vultu maximas gratias agere; fore se beneficij memorem, quoad viueret; alium tamen quæreret, in quem huiusmodi honorem, dignitatemque conferret; se cuilibet omnia de iure suo cedere: huic demum constantiæ Soranus Episcopus succumbit, & canonicatum in alium transferre cogitur. Igitur Cæsar ad patrem scribit, omnia se cum Episcopo composuisse, proinde laqueis omnibus exutũ atque expeditum in posterum impedire ne quærant; ea ratione vir prudens, Deo volente, fortiter in proposito perstitit, longe vberiore atque ampliore pietatis ac religionis fructu, quemadmodum postea magno totius Ecclesiæ bono, atque ornamento perspectum est.

E morbis grauissimis diuinitus seruatur. Cap. XIV.

Nec ita multo post in varios incidit morbos eosdemque grauissimos; nimirum optimus miles, qui nuper præclarè se gesserat, atque externis rebus nuntium remiserat, iterum euocatur ad pugnam, & secum ipse acrius contendere cogitur. Ardebat per eos dies odio, atque inuidia in Christianum nomen Turcarum tyrannus sæuissimus Solimanus, quamobrem maxima instructa classe Melitensem obsidionem, atque adeo totius Italiæ cladem meditabatur.

batur. Cæsar, vt erat, Christianæ reipublicæ studiosissimus, ea de re intimis sensibus angebatur; igitur dies, noctesque Deum precibus, & lachrymis fatigare, vigilijs, ieiunijs, flagellis corpus excruciare, se ipsum denique diuinæ iustitiæ, tanquam omnium piaculum pro communi salute, atque incolumitate deuouere; itaque ex tanta vitæ asperitate febrim contraxit satis periculosam & grauem, ex qua demum conualuit. interea tamen, dum neque de assiduo labore, neque de austeriori viuendi ratione quidquam remittit, tanta improuisò morbi vis illum oppressit, vt non multos post dies in extremum vitæ discrimen adduxerit; iamque sacro infirmorum oleo inungendus, nocte quadam sibimet visus est in coelum deferri; quamobrem vehementer Deum rogare, obtestari, vt se in purgatorium ignem ante detrudi iuberet, quàm in cõspectum tantæ maiestatis veniret, neque enim decere quauis vel minima labecula leuiter aspersum in cœlum conscendere; hoc sibi longe optabilius esse, vel atrocissimas pœnas diutius sustinere. Sed emersit tandem e grauissimo morbo, & cum viribus pariter ingentes labores resumpsit. Paucis deinde interiectis mensibus, iterum putrida atque acuta febri corripitur. qua quidem quotidie atrocius sæuiente, post diem decimum, quàm ægrotare cœperat, proxime ad mortem accessit; itaque omnibus Ecclesiæ sacramentis rite susceptis, vitali dein sensu deperdito deploratus a medicis amicisque omnibus, tantùm non spiritum emisit. Ad Philippum interim tristis nuncius defertur, de Cæsare iam conclamatum esse. Tum verò Pater optimus de illius periculo valde solicitus ad Deum confugit, salutem atque incolumitatem Cæsari supplex petit, mirabiliter impetrat: id quod quemadmodum ceciderit per idem tempus Cæsari diuinitus ostensum est. Iacebat ille

exani-

exanimis (quod modò narrauimus) atrocitate morbi prope confectus, cum ex improuiso somnum capit; mox per quietem Christum Dominum maiestatis & gloriæ plenum stantem ex aduerso videt; ad eius dexteram Virginem Matrem, ad pedes Philippum salutem sibi humilibus precibus exposcentem, & maxima cum fiducia, sæpe illud clamitantem; Da quæso, da Cæsarem Domine, sic cupio, sic volo Domine, mihi Cæsarem redde: Christo autem abnuente, videt extemplò Philippum in Dei Matrem oculos, precesque conuertere, atque ea denique apud Filium intercedente statim exoratum esse intelligit: itaque experrectus, ac bonæ spei plenus, ereptum se e mortis periculo pro certo habuit; Philippo deinde ad eum venienti rem totam narrat, agitque maximas gratias. porrò ille ad suas virtutes occultandas, declinandamque gloriam natus; caueſis (inquit) somniantium visis fidem habeas: periculi plena res est; paratus expeditusque esto ad Dei nutum, nec quidquam vltra quærito. Quod autem non inane falsumque somnium fuerit, sed obiectum a Deo cœlitus visum, rei probauit euentus; nam illo ipso die e morbo grauissimo ita recreatus est, vt plane iam extra omne periculum esse certò crederetur; quamobrem medici admiratione vehementer commoti; insperatam salutem Cæsari gratulantur, atque vni Philippo acceptam referendam esse, palàm omnes profitentur.

***

Ad Vallicellanam Ecclesiam venit.
Cap. XV.

Confirmatis igitur viribus intermissum opus resumpsit ita vt cum maxime, & in vinea Domini excolenda totus erat. Cum autem ad Oratorium Sancti Hieronymi quotidie magis, magisque hominum multitudo confluerct; & locus iam populi frequentiæ impar esset; Florentini, vt supra tetigimus, ædem satis amplam, ornatamque vltro extruxere, in quam deinde solemnia exercitia translata sunt, donec biennio post ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Vallicella deuentum est, vbi Gregorio XIII. Pont. Max. annuente, atque adhortante, mox etiam incoeptum opus quà auctoritate, quà pecunia liberaliter promouente, Oratorij Congregatio erecta est, nouumque Templum in honorem Virginis Deiparæ, & Sancti Gregorij Magni a fundamentis excitatum; itaque primus omnium Cæsar ad nouas ædes venit, magnamque cœpit in ipso aditu Vallicellanæ Ecclesiæ lætitiã; continuò enim (quod ipsemet ad patrem scribit) occurrit animo Soranum templum ad Vallis radicem eidem Virgini pariter dedicatum, in quo se olim infantem prope demortuum vitam diuinitus recepisse memoria alte retinebat: quam ob rem nunc demum in augustissimæ Dominæ clientelam, atque ædes venisse sibimet gratulabatur. Hic verò cum ex Apostoli præcepto identidem spiritum innouare iam didicisset, feruori suo laxiores habenas immisit: cibum non solùm modice sumebat, sed etiam intra modum, vt eum sæpius iam cænatum Philippus iterum cænare iuberet, ne scilicet corporis debilitatem ex nimia vi-

ctus parſimonia contraheret; ſomni etiam parciſſimus fuit, in lucem nunquam dormiuit: quatuor, vel, vt maxime, quinque horas quieti dabat; quamobrem paucis ante menſibus, quàm ex hac vita migraret, ingenue profeſſus eſt, ſe per triginta atque eò amplius annos citra ſatietatem quieuiſſe; quod autem noctis ex modica quiete ſupererat, id totum ſtudijs, atque orationibus impendebat. Quæ quidem ita inter ſe temperabat, vt non modò alterum alteri nullum impedimentum, ſed maximum contra adiumentum afferret: itaque lectionem eius, aut ſcriptionem crebra ſuſpiria interrumpebant, & iaculatoriæ quædam ad Deum preces, atque identidem propheticum illud inclamitabat, *O Iſrael quàm magna eſt domus Domini*. Lectus illi anguſtus, & breuis, ſcilicet minus quatuor palmos latus, longus ſeptem, atque ab humo parum elatus; vt plane hominem ſtatura corporis grandiorem haud caperet, & brachia ſi forte diduceret, vtraque manu pauimentum facile tangeret. Ad hæc fractum ac debilitatum vigilijs & ieiunijs corpus cilicio & flagellis grauius excruciabat, vt in ſeruitutem vſquequaque redigeret; cumque aſſiduis, iiſque grauiſſimis occupationibus diſtineretur; tamen non ſemel rogatus nulla ratione adduci potuit, vt ex domeſticis aliquem minus occupatum in cubiculum interdum admitteret, qui tot tantiſque laboribus oppreſſum, vtcumque ſubleuaret. quamobrem Philippus (vt erat homo ſupra quam credibile eſt prudens ac lenis) clauem alteram ad fores eiuſdem cubiculi aptari iubet, eamque cuipiam ex iunioribus tradit, qui cum Cæſar abeſſet, tum denique cubiculum verreret, ſterneret lectulum, cæteraque eiuſmodi, vel inuito, ac repugnanti miniſtraret. Fuit is Ioannes Matthæus Ancina Foſſanenſis noſtræ Congregationis presbyter

iam tum optimæ ſpei adoleſcens, quem ſuperioribus annis plenum dierum pariter ac meritorum ad cœlum euolaſſe certò credimus.

Baſilicam Principis Apoſtolorum quotidie viſitat. Cap. XVI.

AT verò quantumuis laboribus, atque occupationibus premeretur, vnum tamen omnino (dum potuit) non intermiſit diem, quin Vaticanam Baſilicam pedes inuiſeret, nulla habita temporum ratione, non hyemem, non æſtum, non ventos, non pluuias metuebat, Porro ſacra limina aſcendentem extemplò pauperes vndique occurrentes, facto agmine, arctiſſime obſidebant ſolemnem ſtipem accepturi: die quodam adfuit inter cæteros ſpectatæ probitatis homo Litteratus nomine, & qui nuperrime, abiecta rerum humanarum cura, multos ex pueris rerum inopia per Vrbem vagantibus collegerat, eoſque alendos, & gubernandos per ſummam pietatem, & charitatem ſuſceperat: huic Cæſar argenteum nummum more ſuo cum dediſſet: næ tu (inquit ille diuino ſpiritu afflatus) horum puerorum eris aliquando protector: & plane quemadmodum prædixerat, ita res cecidit; vbi enim ad Cardinalatus dignitatem euectus eſt, continuò Litteratorum (ſic deinde ijdem pueri a Litterato parente vulgo appellati) tutelam, & patrocinium ſponte ſuſcepit. Templum ipſum ingreſſus, incredibile dictu eſt, quantam animi, vultuſque demiſſionem præſeferret; cumque ad æneam Principis Apoſtolorum ſtatuam propius acceſſiſſet, pedibus eius caput humiliter ſubijciebat, eoſdemque deuotiſſime oſculabatur, hæc tacite dicens, *Pax, & obedientia;*

tia; atque illud, *Credo vnam Sanctam Catholicam*, *& Apostolicam Romanam Ecclesiam*; hanc porro laudabilem consuetudinem, alij quoque imitati sunt, vsque eò, vt pedes eiusdem statuæ attritiores sint, quòd exinde non modò venerari, verum etiam osculari omnes consueuerint. Ad sepulchrum Apostolorum mox veniens toto corpore prostratus adorabat, sacrumque puluerem fideli ore lambebat, suam deinde, ac proximorum salutem Deo, atque Apostolorum Principibus commendabat, & quidem tanto cum spiritus ardore, vt lacrimis, & singultibus temperare non posset; in primis autem pro Catholica Ecclesia preces, gemitusque fundebat; cum enim videret Petri nauiculam quotidie infidelium; atque hæreticorum motibus impeti, quodque dolendum est magis, pessimis Christianorum moribus agitari, intimis sensibus angebatur. Hanc ipsam Petri nauiculam in atrio summo ipsius Basilicæ e regione vestibuli musiuo opere, miro artificio expressam intuebatur quadam die, erantque cum illo pariter Cardinales alij, Diechtristain, Tauerna, Pamphilius, Taurusius; quorum vnus rogauit, quam ob causam eo potissimum loco a maioribus posita esset, cui Cæsar, *Ad tollendam* (inquit) *quorundam superstitionem, qui templum ingressuri prisco more Gentilium, conuerso corpore* (vt ait Beatus Leo Papa) *ad nascentem se Solem reflectere & curuatis ceruicibus in honorem se splendidi orbis inclinare consueuerant. ego verò triginta annorum spatio quotidie ferme sacram picturam visitare, & flexis genibus venerari non prætermisi, addita etiam hac breui oratione, Domine vt erexisti Petrum a fluctibus, ita eripe me a peccatorum vndis:* quæ quidem supra memorati Cardinales pio atque alacri animo exceperunt, & continuò Pamphilius cæterique vnà omnes procidentes

dentes orationem eiusmodi deuote recitarunt, magna astantium ædificatione, & pro se quisque in posterum ibidem recitare constituit, cum ad Apostolorum limina perueniret.

Matris animam in cœlum abeuntem videt. *Cap.* XVII.

Agebatur annus ab ortu Christi Saluatoris MDLXXX. solemnisque dies recurrebat, quo Iacobi Apostoli anniuersaria memoria celebratur octauo Kal. Sextiles, cum Cæsar de more in Ecclesia confessiones excipiens reponte videt in spiritu matris animam ad superos hinc abeuntem: rei nouitate commotus, ne citius quàm par erat, crederet, statim in patriam mittit, qui perspectis, atque exploratis omnibus vera renunciet: vixdum ille mediam itineris partem emensus erat, cum ecce tibi nuncius ab Sora litteras ad Cæsarem perferens, quibus de morte matris plenius admonebatur: has deinde ille cum accepisset sub eandem horam eam decessisse comperit, qua se illi per visum obuiam dederat: itaque de eius salute spem certissimam tenens, tantum abfuit a lacrimis, ac mœrore, vt maximam lætitiam perceperit. Igitur dolentem vehementius patrem per litteras consolatur, vtque pijssimæ coniugis vestigijs insistat, etiam atque etiam hortatur: ad hæc velle se optimæ fœminæ memoriam posteris commendari, ne scilicet suo honore fraudaretur in terris, quam certò crederet a Deo gloria, & honore coronatam in cœlis. Quamobrem, nec ita multo post epitaphium eiusmodi marmori insculptum, sepulchro illius imponendum curauit.

D. O. M.
PORTIÆ PHOEBONIÆ
MVLIERI RELIGIOSISSIMÆ
PAVPERVM MATRI
CVI VIVERE CHRISTVS
ET MORI LVCRVM FVIT
CAMILLVS BARONIVS CONIVX
ET CÆSAR FILIVS
OB VIRTVTVM MERITA POSVERE
LICET EXIGVA AMPLIORA MERENTI
OBDORMIVIT IN DOMINO
OCT. KAL. AVG. ANNO DOMINI MDLXXX.
CVM IMPLESSET AD HORAM VSQVE
ANNVM SVÆ ÆTATIS LXV.

Admonuit præterea Patrem, vt quotannis recurrente eius obitus die, pauperibus conuiuium pararet, multosque Presbyteros ad exequias cohoneſtandas poſtridie conuocaret, quos itidem laute, ac liberaliter acciperet. Hæc eadem pietatis officia ipſi etiam patri perſoluit, qui paucis poſt annis honeſtum vitæ curſum feliciter impleuit. Sed hoc loco de Cæſaris matre, aliquid ſcribere operæpretium eſt, cuius præclaras virtutes ſilentio præterire omnino nefas ſit; igitur omiſſa generis nobilitate, quod illa Tranſaquis, veteri Marſorum oppido, ex Phœbonia illuſtri familia deduxit, quæ ſunt propria illius tantummodo recenſebimus; quandoquidem ſola apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe vrtutibus; verum ne longius, quàm par eſt, a propoſito diuertere cogamur, multa paucis, atque adeo vno verbo omnia perſtringemus; quo nimirum ex Apoſtoli ſententia *inſtaurantur omnia*, vna videlicet in proximos charitate. Mos erat fœminæ ſanctiſſimæ (quod initio diximus, cum de Cæſaris pueritia ageremus)

remus) non modò occurrentes, atque vltro venientes ad se pauperes benigne excipere, sed certis etiam anni temporibus diligenter vndique perquisitos, conuocatosque colligere, vt pietati suæ cumulatius satisfaceret; tunc enimuero illa nimia quadam voluptate exilire videbatur, cum egenis, miseris, & languentibus ministrabat: quamobrem ipsamet propria manu consumpta languoribus atq; inedia miserorum membra fouere, ipsa etiam mensam apponere, cibos parare, inferre, porrigere: vt plane non hominibus, sed Christo pauperi ministrare sese ostenderet. Hanc verò effusam in proximos charitatem, non semel a Deo miris modis comprobatam fuisse, exploratissimum est: cum aliquando ingrauesceret annona, & ad eam pauperes vndique fame enecti concurrerent, consueuit pijssima fœmina quoties pro se, suisque domi panis conficeretur, duodecim panes, ad miserorum inopiam subleuandam seponere, coctosque in frusta dispertire, atque in mactra seorsum recondere; mox emendicantium cuique benigne elargiri; nunquam tamen (quod admirere, præsertim in fœmina) si quid præterea elargiendum superaret, curiose inspexit, ne scilicet Dei bonitate parum confidere videretur; itaque diuinitus factum est, vt quantumuis illa large, ac liberaliter dispergeret, tamen quod daret, nunquam desiderauerit. Quod autem ei in pane vsuuenerat, hoc & in vino pariter accidit; cum etenim horrida quædam grando in agro Sorano vineta omnia deuastasset, & iam summa vini penuria ciuitatem vexaret, habebat forte Portia doliolum vino plenum, quamquam ne sibi quidem in eum annum, nedum vniuersæ familiæ suffecturum; sed illa (vt erat fidei, & pietatis plenissima) tum in Ecclesias, & religiosorum familias, tum in ægrotos, & pauperes, vtcum maxime,

 vinum

vinum profudit: tantisque incrementis augescere sensit, vt domesticis omnibus, cæterisque exterorum indigentium abunde satisfactum fuerit: hæc porrò haud obscura in se diuinæ bonitatis indicia, bona mater filio non sine lacrimis enarrabat. Alia quoque superessent dicenda, quę incredibilem illius pietatem ostendunt, tum quòd in hebdomadas singulas sexta quaque feria carceri addictos benigne reficeret, tum quod in publica hospitali domo pauperibus, & languentibus, quotidie inseruiret, & hoc genus alia in proximos charitatis officia; sed aliò properantibus, hæc de eius vita ac moribus delibasse sufficiat, quos, & S. Philippus satis perspectos habuit, & dilexit vnice, adeo vt cum aliquando in Vrbem venisset, apud Cæsarem, & socios, qui per id tempus in ædibus Florentinorum degebant, citra omnem consuetudinem, atque exemplum, prandere illam omnino voluerit.

Annales Ecclesiasticos scribere iubetur. *Cap. XVIII.*

SEd iam ad Cæsarem redeamus, deque eius Annalibus scripturi rem a principio exordiamur. Vixdum ille Romam peruenerat, cum ad Philippum (quod initio diximus) adducitur, nec ita multo post in Oratorio S. Hieronymi ad populum verba facere iubetur, mox Ecclesiasticas historias percurrere, demum etiam scribere cogitur. huius rei causam præbuit recens hæreticorum impudentia, atque audacia: siquidem non ita pridem sacrilegæ Magdeburgensium centuriæ ex inferi portis eruperant, qui cum antiquorum res gestas ad verum se collecturos falsò profiterentur, re ipsa nihil aliud moliebantur,

tur, nisi, vt Ecclesiasticæ historiæ veritatem, puritatemque contaminarent, suisque figmentis, & mendacijs turrim alteram confusionis extruerent, qua scilicet cœlum ipsum, & superos cœco perciti furore oppugnarent; quamobrem Philippus zelo Ecclesiæ laborantis exæstuans, diuino spiritu afflatus Cæsarem accersit, monet, vt ad veteres rerum Ecclesiasticarum scriptores recognoscendos, examinandosque animum penitus appellat, nihil aliud posthac in Oratorio edisserat, quàm quod ad historiam Ecclesiasticam facere videatur: ea re nonnihil commotus est Cæsar, quòd nec aliud quicquam tam præter opinionem accidere poterat, nec magis ingenio, atque instituto suò alienum; quippe qui de rebus hominis nouissimis verba facere, & modò terribilem mortis speciem audientibus offerre, modò horribilem diuini iudicij diem, modò æterna inferorum supplicia ante oculos ponere consueuerat; ad quæ narranda, & suopte ingenio impellebatur, & quòd ad commouendos animos nihil aptius, nihil fortius existimabat; igitur Philippi consilium, si minus aperte, at certe clam declinare, modò hoc, modò illud excusare, & rem in longum trahere studebat; contra ille instare, vrgere denique expresse iubere. quamobrem hærere Cæsar: hinc præcepti vim reuereri, illinc onus grauissimum formidare; excusare imperitiam, ingenij tarditatem prætendere; ad hæc, minime multos deesse, qui res Ecclesiasticas melius multo scribere possent, atque ea tempestate Onuphrium Panuinum, hominem longe doctissimum magnum hoc opus moliri; proinde se homuncionem illitteratum, infantem, ad dicendum aut scribendum de rebus grauissimis ne cogeret; multa præterea attulit, rogauit, obsecrauit; & tamen apud Philippum proficere nihil potuit, qui diuini consilij cer-

certus, & futuri conscius, tu (inquit) dictis obtempera, ne quid vltra quærito: laboriosum opus videtur: sustine: in Deum spem erige, atque ab eo auxilium expecta. Tunc enimuero in summas angustias adductum se esse intellexit; quandoquidem ex altera parte Philippo nunc iam non suadenti, sed imperanti reluctari religio erat, ex altera impositum sibi onus, non modò sustinere desperabat, sed & suscipere refugiebat. Igitur, quò se verteret, prorsus ignorabat; sed qui consolatur humiles, consolatus est eum Deus, & in tanto æstu curisque nutanti peropportune radius diuinæ claritatis affulsit: etenim per quietem sibi visus est colloqui cum Onuphrio Panuino, qui per eos dies, vt antea diximus, historiam Ecclesiasticam contexebat, eumque rogare, vt inchoatum a se iampridem opus absolueret, atque perficeret; sed abnuere ille, atque aures oculosque pariter auertere, & cum Cæsar id ipsum vrgeret, extemplo vox sonuit: Quiesce Baroni, ne quid vltra loquere; Annales ipsemet scribes; hanc autem ipsissimam Philippi vocem fuisse certo credidit: itaque postquam illuxit, ad eum venit, & rem, quemadmodum ceciderat, narrat; nec verò is factum negat, sed risu & ioco suauiter de more prætexit, &, Apage (inquit) istiusmodi somnia. Ex ea die non tam hominis, quàm Dei consilium esse intellexit, & ad rerum Ecclesiasticarum studium totum se contulit.

* * *

In

In Annalibus componendis Cæsaris labor, atque industria. Cap. XIX.

IGitur veteres omnes historicos diligenter euoluit, & cum multa quotidie excerperet & suis quæque locis seponeret, ac distribueret, maximam rerum syluam in vnum congessit, præsertim aduersus Nouatores nostri temporis pro sacris traditionibus, tuendis, & conseruanda Catholicæ Ecclesiæ dignitate. triginta anni erant, ex quo ad hæc studia se contulerat & septies iam in Oratorio repetitam Ecclesiasticam historiam, satis superque contriuerat, cum demum, Philippo iubente, cohortantibus amicis omnibus, de Annalibus Ecclesiasticis contexendis seriò cogitare cœpit; quamobrem diuina aspirante gratia e portu soluit, & quidem optime instructus ac munitus, erat enim in eo incredibilis quædam ingenij vis ac magnitudo, cumque iam in mare profundum, atque immensum abstractus esset, innumeras ac prope inexplicabiles difficultates deuorauit, dum nouam quandam chronologiam condere, certosque historiæ fines ponere nititur, dumque suo quæque tempore vult recensere, nimirum quid quolibet anno, atque adeo quid hyeme, quid æstate, quid denique singulis quibusque mensibus factum sit; rem sanè arduam ac perdifficilem, necdum cuiquam historicorum, nisi forte qui suorum temporum res gestas scripsere, tentatam; Itaque in nobiles Vrbis bibliothecas sese abdere, præsertim autem in Vaticanam, quam ditissimum rerum antiquarum penum, promptuariumque dicere solebat; non modò apud nostros, sed apud exteros etiam authores veritatem peruesti-

gare,

gare, omnia tum Græcorum, tum Latinorum Patrum; scriptorumq; monimenta perquirere, manu descriptos codices scrutari, nihil inuisum, nihil intentatum relinquere. Quòd si olim Dionysius ille Halicarnaslæus hac vna ratione Romanæ historiæ suæ fidem satis conciliare sibi visus est, quòd per annos plurimos Romæ versatum se esse diceret, atque antiquiora Vrbis monumenta sedulò perlustrasse; profectò Cæsar longe maiorem auctoritatem suis Annalibus comparauerit, qui, & in eadem Vrbe, principe magistraque orbis terrarum quinquaginta ipsos annos vixerit, & penitissima quæque summo studio summoque labore quæsiuerit, & inspexerit; Ad hæc, quòd veteri prouerbio, sapientiam habitare in consilio optime intelligebat, multa cum eruditissimis viris, quorum copia in Vrbe esse solet, disserere consueuerat, sæpe etiam cum exteris per litteras agebat, nec, nisi cum alijs, de rebus grauioribus deliberabat: quid ibi laboris impenderit, quid sustinuerit difficultatis; quotiesque cessauerit, & obedientiæ studio rursus incœperit, testes sunt, qui cum eo pariter vitam duxerunt, & querelæ, quibus ipsemet Annales respersit, identidem clamitans, opprimi se tanto onere, tantisque alienis laboribus distineri, vt respirare liberè non posset. Et sanè vitam eius quotidianam si spectes, vix tandem intelliges, qua ratione vir, cœteroqui occupatissimus, quà priuatis, quà publicis rebus impeditus id oneris non modò sustinere, sed vel suscipere potuerit. Primùm enim Parochi munus, atque animarum cura illi demandata fuerat (quæ quidem valentissimo cuique delassando per se ipsa sufficiat, deinde confluentium ad Ecclesiam confessiones audire quotidie opus erat, deinde alternis prope diebus ad populum verba facere, præterea domesticis rebus Congregationis præesse, denique importu-

portunos interpellatores in horas singulas, ad colloquium admittere, & cum tot, tantisque occupationibus premeretur, tamen tantæ molis opus, & quod multas manus posceret, nullo prorsus adiutore properare cogebatur, vt plane ab illo (quod aiunt) ne transuersum quidem vnguem; vsque eò Philippus vrgebat. Hoc porrò, vel maxime admiratus est Transalpinus quidam Episcopus doctrina æque, ac pietate spectabilis, qui per hos dies ad eum cum venisset, & quas parauerat ad Romanum Martyrologium eruditissimas notationes inspexisset, magnamque præterea rerum copiam, quas ad conscribendos Annales congesserat; rogauit, quotnam amanuensium opera vteretur; cui subridens Cæsar propheticum illud ingenue respondit, *Torcular calcaui solus*. tunc enimuero vir doctissimus vehementer obstupuit, & exinde Baronium prope supra hominem suspexit. quid si ille vidisset non modò notationes ad Martyrologium Romanum, sed etiam Annales integros vnius Cæsaris manu semel atque iterum conscriptos, quorum duodecim tomos authoris ipsius munere Vaticana Bibliotheca hodieque seruat, tresque alios, qui de duodecim alteris post eius obitum reperiri potuerunt, nos ipsi asseruamus in nostra Vallicellana Bibliotheca vna cum notationibus ijsdem, alijsque opusculis nondum in lucem editis! Illud autem silentio prætereundum non est, quòd cum beneficij loco petijsset a Philippo, vt ne ex ordine cum alijs pariter ad Missam celebrandam cogeretur (ea est enim nostræ Congregationis consuetudo, vt Sacerdotes sua quisque hora in orbem ad rem diuinam faciendam euocentur,) *Age sane*, inquit Pater, *at horam certam tibi præscribito, quam quotidie constantissime serues*; quamobrem Philippus idem æditius seuerè præcipit, vt stato tempore illum

accer-

accersant, & maximis licet rebus implicito, ne tantulum quidem spatij indulgeant: quod quidem nihilo illi facilius erat, quàm si ex ordine cum alijs pariter vocaretur. Ad hæc cum Annales iam prodirent in lucem, & singulos tomos Philippo Cæsar offerret, hoc pro mercede, & præmio referre solebat, vt eo nomine tricies Missæ Sacrificio ministraret. Neque verò de summis eius occupationibus aliquid tandem imminutum est, sed cum annis simul labores creuere, quò enim clarius illius virtus quotidie enitebat, hòc frequentius ad eum omnes, tanquam ad oraculum concurrebant. Itaque cum Gregorius XIII. sanctissimus, & sapientissimus Pontifex, deque nostra Congregatione optimè meritus, de Romano Martyrologio reformando seriò cogitaret, eamque prouinciam viris doctissimis demandasset, hortante præsertim Gulielmo Cardinale Sirleto, homine pietate & doctrina insigni, Cæsarem inter alios allegit, eiusque opera vsus est plurimùm; oblata etiam annua Ecclesiastica pensione, quam cum ille modeste respuisset, quòd paupertatis voto se iam adstrictum affirmaret, Pontifex optimus aureos decem in singulos menses, vt acciperet, imperauit, coëgitque; quibus nimirum a manu aliquem apud se habere commode posset: hæc deinde fuit causa quamobrem hoc ipsum Martyrologium, Philippo iubente, eodem Sirleto impellente, accuratissimis notationibus illustrauerit, Summoque Pontifici Sixto V. dicauerit; quod cum ad ipsius pedes attulisset, interrogauit illum Pontifex, quibusnam studijs eiusmodi opus aggressus esset; cui Cæsar veteres omnes Patres tum Latinos, tum etiam Græcos sese euoluisse, neque aliter rem peragi potuisse respondit: de suo parum aut nihil contulisse. tunc Pontifex præclaros hominis labores admiratus; *parumne* (inquit)

quit) *tibi videtur Sanctorum Patrum volumina contriuisse? igitur vt Annalibus Ecclesiasticis, quos te iam conscribendos suscepisse gaudemus, commodiorem operam nauare possis, annuam pensionem Ecclesiasticam tibi attribuimus, & sine vlla contradictione te accipere iubemus*. Libet autem hoc loco narrare, quid acciderit Cæsari a Pontifice domum redeunti: vix dum enim ad Vallicellanas ædes se receperat, cum ecce tibi nuncius a Philippo, qui ab illo Congregationis nomine annuam contributionem exigit; voluit nimirum sanctissimus idemque prudentissimus Pater quas filijs suis præscripserat leges & instituta ipso initio stabilire, atque firmare, illudque in primis, vt ex censu pro suis quisque facultatibus in commune commodum Congregationis libere conferat, proprijsque stipendijs militet. re audita Cæsar pluribus sese excusat, quicquid sibi inuito, ac repugnanti a Pontifice fuerat attributum, id totum in Annalibus conscribendis, excudendisque insumendum esse; quandoquidem eo tantum nomine accepisset: cumque Philippus in sententia permaneret, & quamuis multis modis tentatus a proposito dimoueri non posset, Cæsar, alioqui Sancto Parenti in omnibus obsequentissimus, humani aliquid passus est, rogauitque plurimum Thomam Bozium virum ex nostra Congregatione, & morum & studiorum similitudine sibi coniunctissimum, librisque editis celebrem, vt quibus posset rationibus Philippum flectere conaretur, ne forte sibi daretur occasio aliò cogitandi: igitur cum Philippo agit Bozius, singulas affert causas, quibus Cæsar ei contradicere cogebatur, orat, obsecrat, obtestatur, vt aliquanto remissius cum illo agere velit; sed frustra: nihil enim Pater vehementius exigebat, quàm vt suos omnes ad obediendum promptos, expeditosque haberet;

ret; & quò repugnare illos acrius videbat, hòc vrgebat impensius. quamobrem paucis respondit; *Aut pareat Cæsar, aut abeat; hominibus enim non indiget Deus*. His auditis redit Bozius, & vt erat homo sapiens, idemque mitissimus, Cæsarem hortatur, vt sese Philippi iudicio libere submittat, & captiuet intellectum suum in obsequium Christi. meminerit, quicquid in spiritu, aut litteris profecisset, id totum Philippo acceptum esse referendum. Accepit optimum amici consilium Cæsar, & rectà ad Philippum abijt, eiusque genibus aduolutus, pertinaciæ suæ veniam petijt; quæcumque præterea a Pontifice sibi fuerant attributa, suaque omnia, & se ipsum libere obtulit. Tum verò Philippus, nunc demum quod debueras fecisti; abi iam, & censu tuo vtere, vt libet, nihil enim, nisi voluntatem a te requiro; disce in posterum obedientiam, & superioris imperio te subijcere. Sed vt ad Annalium scriptionem redeamus, tum demum labores, curæque grauissimæ illum opprimere visæ sunt, cum opt. mem. Clementis PP. VIII. sacris confessionibus aures dare coactus, nec ita multo post ab eodem in Cardinalium numerum est cooptatus. hinc namque factum est, vt longe serius quàm soleret postremos sex Annalium tomos absolueril, qua de re cum ipsomet Pontifice grauiter quidem, per summam tamen modestiam expostulat in ea præsertim epistola, quam septimo Annalium tomo præfixam legimus; sic enim post multa: *Quare vt vere & libere dicam, honores & dignitates coaceruatæ, quibus breui tempore immeritum me & nihil tale cogitantem cumulasti, accincte & expedite currenti, tanquam laxæ nimis & laciniosæ vestes, impedimento fuere, partim ipsa rei natura, partim nouitate; primùm enim me Notarium tuum, & S. Sedis Apostolicæ creasti, ex primo ordine eorum, qui supernumerarij dicuntur,*

tur, cuius ſane dignitatis indumenta; etſi inſtituto non plane aliena viderentur, quod tamen eſſent incongrua voluntati, impedimento potius, quàm tegumento fuere, & oneri, quàm honori: Vbi verò ampliſſimæ dignitatis laxiora, fuſioraque ornamenta purpuræ addidiſti, curſus noſter nouæ vitæ nexibus implicatus, iàm multò magis eſt retardatus, adeo vt mibi non ſecus ac Dauid acciderit, dum regijs indutus armis incedere non valeret, eò quod (vt ipſe dicebat) conſuetudinem non haberet. qua eò magis ipſe carebam, quò longius aberam a propoſito. ſtatueram enim, votiſque nuncupatis & iteratis ſæpe firmaueram, (teſtis eſt Deus) in priuato illo ſimplicique vitæ genere optime inſtituto, & hactenus feliciter ducto bene præcinctus mundi contemptu, & expeditus vſque ad obitum permanere, vna cum Iob illa decantans: In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies, *quæ diminutione eorum, quæ deorſum ſunt, foliorum, procera extollitur cœlum verſus dulcibus fœcunda fructibus.* multa ille præterea conqueritur, nec deinde (quoad vixit) expoſtulandi finem fecit. Sed hæc in præſentia libaſſe ſatis eſt, vt plane quantum in contexendis Annalibus deſudatum fuerit intelligatur.

In ſcribendo quantum veritati ſtuduerit. Cap. XX.

CVm autem Cæſar eam potiſſimum hiſtorico legem conſtitutam eſſe intelligeret, vt ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis, nihil plane habuit antiquius, quàm vt latentem rerum notitiam vſquequaque perquireret, quæſitamque diu diligenter expenderet, denique multo laboro repertam comprobatamque veritatem candide, ſimplici-

pliciterque proferret. Igitur quemadmodum quæcumque optimis rationibus ac testimonijs subnixa comperiebat, facile, prompteque affirmabat: ita etiam siquid minus probabile, minusque consentaneum veritati videretur, quantumuis graues alioqui authores haberet, libere atque aperte reijciebat; quamobrem antequam certi quidquam statueret, singula suis momentis expendere, qui rerum scriptores, quæ causæ, quæ consilia, loca, tempora, vno verbo omnia explorare diligenter, ac recognoscere. nec verò alienas ille opiniones refellens, suo iudicio temere vtebatur, sed cum eruditissimis viris conferre consueuerat, eorumque sententiæ facile acquiescebat; quandoquidem eo erat ingenio, vt quamprimum veritatem conspiciebat, effuso illam sinu complecteretur, vsque adeo vt siquid vspiam errasse in scribendo deprehenderetur, sine controuersia libere corrigeret, ac retractaret; id quod in Annalibus non semel factum videmus: itaque monitores reprehensoresque tum factorum, tum etiam dictorum suorum, non modò non declinabat, aut reijciebat, sed etiam quærebat, ac diligebat mirifice; Augustini verbo sæpissime vtens: *Verum, & seuerum diligo correctorem meum.* illud etiam dictitans: *Corripiat me iustus, si modò iuste:* scilicet Ambrosium optime docentem audiebat (quod ipsemet ad Sixtum Pontificem scribit) *Vnumquemque fallunt sua scripta, & authorem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant.* Id verò vnum satis superque sit ad intelligendum, quantum Cæsar in scribendo veritatem adamauerit, quòd nimirum præ illa diuitias, honores, dignitates, humana omnia contempserit. Annales ipsi loquuntur; in quibus ea fiducia, ac libertate dicendi vsus est, vt, vbi res postulabat, non nationum, non

Prin-

Principum, non Regum, vllam omnino rationem habuerit. Ex his igitur satis perspicere possumus, quàm non audiendi sint ij, qui viri plane ingenui, atque integerrimi scriptis maligne detrahunt, & Harpyiarum more, vbi laute, ac splendide sunt epulati,

--- *Magnis quatiunt clangoribus alas,*
Diripiuntque dapes, . . .

næ illi (si saperent) remissius, ac benignius agerent cum eo, qui tot tantisque laboribus de Christiana republica præclare meritus est: sique illum audirent, meritò excusantem rei magnitudinem, temporis angustias, cæterasque innumeras difficultates, quas in Ecclesiastica historia contexenda expertus est. legat qui volet præfationem ad ipsos Annales, & facile intelliget, quantæ molis opus, quantisque implexum nodis fuerit, res Ecclesiasticas ab initio scribere; summas autem atque incredibiles authoris occupationes, & nos paulo ante narrauimus, & ipsemet nihil frequentius conqueritur; operæpretium est eundem audire hac de re breuiter disserentem in octauo Annalium tomo, *Quòd S. Gregorium scripturum dialogos, quibus historia texeretur, captasse recessum legi, non ita verò cum alias scriptiones adorsus erat; mihi in mentem veniunt, quæ de his Cicero, quæ Plinius, siue alij in eandem sententiam scriptis prodidere: omnibus namque solutum esse negotijs oportere, qui in ea se exercere vult facultate, Cicero tradidit; Plinius itidem rogatus scribere historiam, eandem excusationem affert, nimirum non esse sibi integrum id aggredi, nisi secretum, solitariumque locum alijs liber negotijs petat, quod tradit ad Euritium scribens. hæc autem volui consideranda proposuisse, quò si minus forte omnes explesse me numeros in Annalibus conscribendis quis inuenerit; excuset, quòd nunquam mihi licuerit, vel diem vnam vacuam ab interuentoribus, absque alienis curis, atque molestijs felicem albo signandam lapide*

transigere solitarium. Ecquis ergo tam rigidus rerum æstimator & iudex esse poterit, qui virum optimum, eundemque occupatissimum, facile non excuset, si quid in scribendo vspiam offenderit? quamquam ille, vt diximus, & in cauendis erroribus fuit maxime perspicax, & in peruestiganda veritate sagacissimus. Illud autem hoc loco haud prætermittendum existimamus, quòd S. Pater Philippus paucis ante diebus, quàm ex hac vita migraret in cœlum, accersitum ad se Cæsarem admonuit, &, *Scito* (inquit) *humiliter de te ipso sentiendi causas multas te habere, hanc autem omnium potissimam, quòd Annales conscripseris, non enim id tuo labore, aut industria, sed Dei dumtaxat singulari beneficio factum est*; id quod Sanctus Pater iterum, ac tertiò inculcauit; cui ille constanter respondit, *Equidem* (Pater) *quòd scripserim, quòd viuam, id totum Deo, atque orationibus tuis acceptum refero*. Nec ita multo post; cum Philippus iam decessisset, essetque locus libere dicendi de ipsius laudibus, & virtutibus, continuò plenissimam quandam gratiarum actionem pro iisdem Annalibus contexuit, eamque vt omnium oculis pateret, tum octauo Annalium tomo præfixit, tum etiam Beati Patris sepulchro, quasi votiuam tabulam, suspendi voluit ad posterorum memoriam sempiternam. Hanc porro, quanta quanta est, veluti huius capitis appendicem hìc attexendam duximus, ex qua primus Annalium auctor atque architectus facile dignoscatur.

Beato Patri Philippo Nerio Congregationis Oratorij Fundatori gratiarum actio.

Q*Vod de his, quæ spectant ad Ecclesiasticorum Annalium scriptionis primam originem, atque progressum, vix pauca hactenus attingere licuit, vt inuoluisse obscuritate potius ea, quàm explicasse visi fuerimus, eò quod adhuc superstes is esset, de quo dicendum erat, qui non solum suarum laudum esset contemptor, sed acerrimus hostis: eo iam ad superos euocato, quibus detinebatur compedibus oratio libera, secura per latum campum acceptorum ab ipso beneficiorum excurrat: est enim maiorum nostrorum iucunda memoria, a quibus tanquam ex vberrimo fonte innumera nobis bona copiose fluxere: Sed & est proficua ipsa patrum nostrorum recordatio, quòd admoneat nos non debere ab eorum virtutibus esse degeneres, secundum illud oraculum:* Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis: Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos. *Verum quæ iucunda, atque proficua, eadem est & necessaria commemoratio eorundem, a quibus sumus & maxima beneficia consecuti, ne ex silentio vel obliuione turpiter redarguamur ingrati. Sanè quidem, generatim cuncta, quæ filijs prospere feliciterque obueniunt, ea accepta ferenda esse parentibus, sæpe diuinis litteris admonemur, potissimum verò illa a magno Patriarcha Iacob impertita Ioseph benedictione, qua inter alia, ista diuinitus dicta narrantur:* Stetit in fortitudine arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob, inde pastor egressus est lapis Israel. *Cum*

igitur cuncta prospera Ioseph potenti manui Iacob adscriban-tur, qui non solum abesset quàm longissime, sed iam eum deplorasset mortuum, planxissetque occisum: quid nobis de Patre illo dicendum, qui in omnibus præsens & adiutor exi-stens, in primis Apostolico spiritu nos sæpe parturijt, & ab ipsa adolescentia eiusdem spiritus fræno coërcuit, cohibuit-que a lubrico iuuenilis ætatis procurrentis ad malum, atque reddidit indomitum pullum diuinis legibus obsequentem, super quem & Christum fecerit considere. At cum nos mul-tiplici nomine ipsi longe plurimum debeamus, de his modò, quæ spectant ad Annalium, quam habemus præ manibus, scriptionem, extet ei tanquam institutæ omnis lucubrationis nostræ auctori, ista semper viuens, semper loquens Gratia-rum actio monumentis perpetuis consignata. Aequum est enim & animi humiliter de se ac modeste sentientis, per quem profecerit, profiteri: iniquum vero, & arrogans suis viribus plus satis adscribere. Qui enim magis, quàm par erat, sibi tribuit, atque dixit: In fortitudine manus meæ fe-ci, & in sapientia mea intellexi: *acerbum illud accepit a Deo vltore responsum:* numquid gloriabitur securis in eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? *moxque addita est comminationi vindi-cta, quam & ille quoque infelix expertus est, qui eadem de causa e regio solio deiectus, inter bestias exulauit. Quam-obrem quod mortales omnes æterna sapientia Christus ipse Redemptor noster edocuit, cum de Patre ad Philippum sic lo-cutus est, dicens:* Pater in me manens ipse facit opera: *de Patre Philippo & nos ingenue profitemur: non quòd glo-riemur in homine, & non in Deo; sed vt per quem tanta be-neficia largitus est Deus, Dei cooperatorem hominem demon-stremus; sicque vt Deo, ita & hominibus grati simus. Ipse enim diuini quodam impulsu spiritus ista facienda præcepit: non secus ac Moyses, qui quod vidit Tabernaculi exemplar in monte, faciendum illud indixit opifici: eiusdem namque*

Pa-

Patris nostri iteratis sæpius iussionibus, sumus nos tantum opus aggressi, inuiti licet, ac renitentes, proprijsque diffisi viribus: suscepimus tamen tanquam diuino parentes imperio, quo quidem ipse adeo opus vrgebat, vt siquando nos tantæ molis pondere superati, desisteremus a cœptis, stimulis acerrimæ reprehensionis impelleret. Exæstuans tu quidem (ad te enim, Pater, orationem conuerto) exęstuans, inquam, zelo Ecclesiæ laborantis, vbi mente illa tua diuino perfusa lumine, ac prophetico (dicere liceat) afflata spiritu, vidisti e portis inferis in Ecclesiæ detrimentum progressas esse centurias Satanæ; ex aduerso consurgens pro domo Israel prœliaturus prœlia Domini, *non maiori, vel pari saltem numero militum compensato certamine decernendum putasti, sed probe sciens quod* quæ infirma mundi sunt, elegit Deus, vt confundat fortia: *puerum tuum, fratrum minimum & hebetioris ingenij delegisti, quem vnum eundemque inermem tot obijceres armatis hostibus, & aliud agere simulans, non latum campum ad prœlium, sed ad experiendas vires angustum ornasti locum palestræ, ipsum videlicet sacrum Oratorium S. Hieronymi, vbi inter quotidianas de rebus diuinis collationes illud a nobis symbolum exegisti, quo res gestas Ecclesiæ in medium afferremus: quod tua iussione semel cœptum ad triginta annorum spatia est feliciter propagatum, ipsa integra rerum gestarum serie dicendo iam septies in Oratorio repetita. Adstabas iugiter operi, vrgens præsentia; instabas verbis, durus semper (ignoscas si hoc dixero) diurni pensi existens exactor, adeo vt piaculum putares, si interdum ad alia enarranda diuertissem, dum ne minimum quidem ab instituto deflectere patereris: sæpe verò, & in eo humani aliquid passus sum, fateor, cum nondum intelligens, rem ipsam occulte abs te apud Deum precibus confici, meas ipse metiens vires, quererer, mecum ferme agi tyrannice, quòd non solùm aliquis non iungeretur ex fratribus, qui ad collaborandum eidem subijceret*

collum iugo, ſed multiplicato labore, nec datis paleis multiplex opera exigeretur; cum inquam, & adhuc alij ad ſuſceptum munus negotiorum faſces imponerentur, cura videlicet animarum, publicum de ſuggeſtu miniſterium verbi Dei, præfectura domeſtica, præter alia quamplurima, quæ inopinatò, & importune moleſtiores quotidie ingererent interuentores: adeo vt tu vel ita faciens, vel fieri ab alijs patiens, nihil minus velle videreris, quàm quòd plurimum velles. In quo quidem viſus es imitatus Eliam, dum congreſſus cum ſacerdotibus Baal, eos expugnaturus per ignem cœlitus implorandum, qui propoſitam victimam inflammaret atque conſumeret, in contrarium niſus, eandem quatuor aquæ hydrijs tertiò voluit affluenter aſpergi, quò magis ſumma Dei potentia innoteſceret: At verò alia ex parte cum prompto animo idem tu ipſe ad præſtandum auxilium precibus tuis manum fortiſſime admouiſti, viſus es ſecutus Heliſæum, qui manum ſuam Regis manui ſuperimponens in emiſſione ſagittæ, fecit eum eſſe totius Syriæ percuſſorem: quo pariter ſymbolo tu mecum agens, manui meæ debili tuam validiſſimam iungens, obtuſum ſtilum in ſagittam ſalutis Domini, contra inſultantes Aſſyrios conuertiſti: quod ſicut verum, ita pulchrum ac iucundum eſt mihi de te publice profiteri. Pugnaſti tu quidem, ſed aliena manu, vſitato more tuo, qui cum admiranda operari conſueueris, mirandus tamen numquam volueris apparere, nihil tam ſollicite cauens, quàm ne quid de te magnifice diceretur, operimento ſtultitiæ ſæpe operiens ſapientiam iuxta peruulgatum illud & celebratum, mentique tuæ infixum penitus Apoſtolicum paradoxum: Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat: *ita quidem, vt nullis compedibus blandientis ſæculi tenereris, exemplo Dauid ad tempus ora mutantis magna dona ſpiritus occultares, quæ ſunt infirmitatis humanæ foris oſtentans,* ſciresque, *ſecundum Apoſtolum,* abundare, & penuriam pati: *vt cum ipſo dicere poſſes,* ſiue mente excedimus, Deo, ſiue

ſobrij

ſobrij ſumus, vobis; *atque exemplo cognominis tui Philippi Diaconi pro ratione temporis, vel inhæreres hominibus, ipſorum ſaluti conſulens, vel magno impetu ſpiritui venienti vela panderes. Sed quam tu viuens in Chriſti ærarium gloriam copioſiſſime intuliſti, poſt migrationem ex hac vita, aucto multiplici fœnore, ipſe rependit: ſiquidem vbi laguncula terrea fracta eſt, quæ latebat intus, ſua claritate refulgens lampas apparuit, & quæ abſconſa erat ſub modio lucerna ardens & lucens, ſuper æternitatis altum candelabrum exaltata perſpicua facta eſt, miraculorum fulgore coruſcans. Tunc enim, & quæ viuens edideras, ſed occultaueras, mirifica ſigna ſunt cognita, & alia quamplurima recens edita patuerunt. Splendet, vile licet adhuc, vtpote temporarium ſepulchrum tuum, votiuis tabellis, & ex pretioſo metallo ſignis affixis, tuorum miraculorum indicibus, quibus magis quàm pretioſorum marmorum cruſtis, vel Aegyptijs pyramidibus & obeliſcis effulget; maius decoris in dies accipiens incrementum ab ijs, qui noua beneficia conſecuti, inferunt noua ſigna. Detur & mihi locus (vos fratres appello, qui pia ac nobili corona eius cingitis monumentum) vt hæc mea gratiarum actio, tametſi acceptis beneficijs longe impar, eidem adhæreſcat affixa ſepulchro; ita tamen, vt per Orbem terrarum, quocumque ijdem feruntur Annales, excurrat. mobilis ſit ipſa atque vocalis ſculpta columna, quæ amplis notis ipſum prædicet Annalium primum auctorem & architectum; vt ſi quem ex eis mortales fructum cœperint, ipſi in primis omnes gratias agant: ſtet, inquam, mea iſta profeſſio velut indelebile eidem ſepulchro inditum epitaphium, cupiens & ego ipſe eidem inhærere viua tabula, quæ formata penicillo ipſius precum, integram referat eius ſanctitatis imaginem. Age iam, Pater, (te rurſum, tanquam præſentem alloquor, dum eum vides, qui præſens vbique adeſt) Age, inquam, faue operi tuo, & vt tibi in omnibus victoria adſcribatur (quod Ioab ſcripſit ad Dauid)* Veni, & quod reliquum eſt confice

d 1 præ-

prœlium; *cœlestium desuper tuis precibus moue militiam, vt debellatis tandem penitus hostibus, triumphale carmen Deboræ concinamus:* De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine suo aduersus Sisaram pugnauerunt, *me verò filium tuum, quem degens in terris assiduo fouisti præsidio, vigilantia custodisti, consilio gubernasti, patientia tolerasti, viuens in cœlis fortioribus protege patrociniјs: ampliora mihi crescant de tua iam perfecta, & in omnibus consummata charitate subsidia; sed & quod a Basilio se Gregorius Theologus consecutum affirmat, vt eum etiam post obitum habuerit monitorem, hoc nobis abundantius præsta, vt te ipso adhuc etiam vitæ meæ moderante habenas, quod reliquum est labilis huius curriculi senectutis inoffenso pede percurram, perueniamque tandem post labores bene perfunctos ad beatam illam requiem, qua tu modò frueris in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quibus in vnitate perfecta semper sit laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*



DE

DE VITA CAESARIS CARDINALIS BARONII

LIBER SECVNDVS.

Clementis VIII. Confessionibus audiendis eligitur. Cap. I.



NTEREA dum Cæsar totus esset in Annalium scriptione, is qui erat Pontifici a confessionibus forte decessit; nec mora, Syluius Antonianus tunc temporis Apostolici cubiculi Magister (quem deinde eximia virtus euexit ad purpuram) ad nostras ædes mittitur, qui Baronium statim ad Pontificem deducat, eumque in demortui locum suffectum esse, certiorem faciat; itaque, vbi coram adfuit Cæsar, recusare onus, atque excusare laborem Ecclesiasticæ historiæ, ad quam perficiendam tempore egebat maxime. verùm nequicquam verba, & rationes adhibuit; siquidem Pontifex excusationes nullas accepit, sed impositum munus obire iussit, quamquam studiorum eius præcipuam rationem semper habuit, & vesperi dumtaxat ad se adire eum voluit; id quod, dum Pontifex vixit, quotidie obseruatum est: hoc autem munus alioqui periculosum, & lubricum, mirum est, qua prudentia, sollicitudine, integritate administrauerit; quæcumque enim reprehendenda existimabat,

hæc

hæc omnia libere, & candide Pontifici ſuggerebat: in primis autem, vt a ſuis locupletandis abſtineret, aut certe id parce admodum & reſtricte faceret. qua re quamquam multorum inuidiam in ſe concitandam certo ſciret, tamen ab officio numquam receſſit, cum præſertim intelligeret, Pontificem optimum æquiſſimis auribus hæc accipere. Illud verò in primis Cæſaris conſtantiam, & pietatem in hoc munere exercendo commendat, quòd per id tempus pro Henrico Borbonio Nauarræ Rege cum Catholica Eccleſia reconciliando ſtrenue laborauit. ſumma erat inter Romanæ Eccleſiæ Principes viros, contentio, quid in hac re potiſſimum ſtatuendum eſſet, vtrum antiquum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem tenere oporteret, cum præſertim nonnulli ſimulatæ pœnitentiæ Regem inſimularent; an verò eundem recipere quamprimum expediret, ne qua daretur occaſio in Gallia res nouas amplius moliendi, id quod ne fieret, tanti eſſe, vel Eccleſiaſticos ritus ſemel ſilere. Itaque cum ea res Pontificis animum maxime ſollicitum & anxium haberet, multique contra vehementer obſiſterent, incredibile dictu eſt, quantum Cæſari elaborandum fuerit, vt ad optatum finem negotium perduceret. Igitur dies noctesque precibus & lacrimis Deum orabat, adhibito etiam (vt in his ſolebat) aſperrimo cilicio, adhæc, B. P. Philippo iubente, ad pedes Pontificis prouolutus rogabat, atque obſecrabat, vt omni dubio, metuque depoſito ſupplicem Regem benigne tandem exciperet, & delicti veniam petentem clementer abſolueret: quæ res tantum aduerſus Cæſarem odium apud aduerſarios concitauit, vt ſæpe ab amicis admoneretur, ne vltra cum Pontifice ea de re verba faceret, quandoquidem multa illi, & quidem grauiſsima pericula a maleuolis imminerent. At Cæ-

ſar

ſar ſacerdotali conſtantia vſquequaque munitus tantum abfuit, vt vel metu mortis ab incœpto deſiſteret, vt etiam intrepide reſponderet, optare ſe, non ſemel tantùm, ſed & centies, & millies (ſi fieri poſſet) ſanguinem vitamque profundere, dummodo ea ratione diuini nominis gloriæ, Eccleſiæ paci, & animarum ſaluti conſultum iri intelligeret. igitur cum ſæpius quà precibus, quà rationibus Pontificem hortatus eſſet, nec tamen flectere potuiſſet, ad extremum nouo quodam ſpiritus ardore ſuccenſus Pontificem adit, edicit, ſeſe illius confeſsiones in poſterum non auditurum, niſi de Rege Gallorum recipiendo abſolute decernat; qua re factum eſt, vt Pontifex tamdiu ſollicitus, Regem abſoluere decreuerit, quod & deinde feliciter perfecit, non ſine magna Chriſtianæ reipublicæ vtilitate, atque lætitia, quam turbulentiſſimis illis temporibus optare quidem omnes boni, ſperare autem vix pauci videbantur. Sed hæc ab alijs fuſius narrata relinquimus, nobis vel leuiter tetigiſſe ſufficiat, vt ex ijs quiſque facile perſpicere poſſit, quàm egregie Cæſar ſui muneris partes impleuerit; Erat annus a Virginis partu MDXCIIX. ſumma annonæ caritate inſignis, & quamquam Cæſar ad Cardinalatum iam fuerat euectus, adhuc tamen Pontificis confeſſiones excipiebat. Itaque miſericordia commotus de miſero reipublicæ ſtatu deque nonnullorum ea in re negligentia Pontificem monet. Ille, vt erat in omnibus vigilantiſſimus, idemque Pater amantiſſimus, ſtatim Petrum Cardinalem Aldobrandinum fratris ſui filium acciri iubet, quicum ea de re grauiter expoſtulat. is factum excuſat, & quibus poteſt modis Pontificem placat: mox Baronium ipſum, quem iſthæc omnia ad Pontificem detuliſſe conſtabat, aggreditur, eumque iratus acriter arguit, quòd res iſtiuſmodi ad Pontificem deferat, atque illius

lius animum, tum in se, tum in alios etiam ministros commoueat: meminerit porro & purpuram, & quæcumque haberet, Aldobrandinæ domus beneficium esse. adhæc Cæsar, (vt erat ingenio præferoci, ac maxime libero, vbi conscientiæ securitas agebatur: *Ego verò* (inquit) *neque dignitatem hanc quæsiui vnquam, neque vnquam optaui, quamobrem sine dolore dimitto, quod sine amore possideo; habeto tibi tuam purpuram, nunc enim meas vestes resumo libentissime: nihil mihi optatius, quàm vt ad fratres meos reuertar, & ad cubiculum meum, cuius adhuc clauem mecum defero: munera tua sint tecum, bona tantum conscientia mecum esto.*

Præpositus Congregationis eligitur. Cap. II.

PEr id tempus, hoc est biennio antequam ex hac vita discederet S. P. Philippus Sanctissimorum virorum exemplum secutus, Præpositi munere, quod olim a Patribus nostræ Congregationis perpetuò illi fuerat iniunctum, sese abdicare constituit; aiebat enim, hominem iam senectute confectum oneri ferendo non esse; adhæc, dato sibi iam receptui signo, optare aliquid otij, dum ad profectionem postpaulo accingeretur. igitur conuocatis Patribus voluntatem suam libere exponit, rogatque, vt nulla habita sui ratione, communi omnium vtilitati prospiciant, sibiq; virũ sufficiant, & animi, & corporis viribus firmiorem. at Patres, cum optime intelligerent, Philippum propriæ quieti, & commoditati nequaquam studere, sed, qua erat humilitate, priuatæ vitæ auidissimum esse, vno ore omnes resistunt, atque enixe petenti

tenti aperte negant: ille vbi videt precibus, & rationibus nihil profici, vel interposita Pontificis authoritate id obtinere constituit; itaque Augustinum Cusanum & Federicum Borromæum Cardinales, filiosque suos in spiritu dilectissimos rogat, vt re prius cum Pontifice communicata, cum Patribus agant, & ad nouum Præpositum eligendum eos impellant. Igitur prid. non. Iul. anno MDXCIII. Congregatione coacta præsentes adsunt Borromæus & Cusanus, Philippi voluntatem ac desiderium Patribus exponunt, & cum Philippo pariter sentire Pontificem affirmant, proinde alium Congregationi Præpositum deligant, cui quidem muneri aptissimus censebatur, tum Philippi, tum etiam Pontificis ipsius suffragio, Baronius. Hìc autem Cæsar, vt digniori loco inter nostros sedebat, *Mihi verò Patres* (inquit) *displicet vehementer hoc Parentis nostri consilium, tamen obfirmatæ eius voluntati diutius repugnare non ausim; cum præsertim de re huiusmodi authoritas grauissima tantorum virorum, atque ipsius summi Pontificis intercedat*. idipsum omnes sensere, & iam ad suffragia ventum esset, nisi Baronius idem statim subiecisset, sese Præpositi munus numquam subiturum, nisi in electione ratio Patrum decreto iam difinita seruetur, hoc est, vt libera vnicuique cuiusuis eligendi facultas relinquatur: id quod & Pontificem ipsum, siquidem Congregationis decreta cognosceret, ratum, gratumque habiturum pro certo se habere: multa præterea in hanc sententiam adiecit, quibus tum Cardinales, tum etiam Patres permoti in aliam Congregationem rem differre constituunt. interim assiduis precationibus, & sacrificijs diuinæ sapientiæ lumen, opemque ardenter exposcere. igitur x. Kal. Augusti iterum Patres in consilium veniunt, & quoniam Philippum in proposito

to

to perſeuerare conſtabat, de noui Præpoſiti electione deliberant, atque vbi ad ſuffragia ventum eſt, ſtatim Præpoſitus Congregationis Cæſar renunciatur, nemine, præter ipſum, diſcrepante. Hic verò ingens lætitia omnium animos inceſſit, ac præſertim Philippi, qui tum demum emori ſe libentiſſime fatebatur, cum in Baronij manu ac tutela Congregationem relinqueret: ipſe vnus, lætantibus cæteris, dolebat, ac flebat; quòd indignum ſeſe omnino iudicabat, qui alijs præficeretur; quapropter ad Patres Neapolitanæ Congregationis ſcribens ab illis Prophetæ verbis exorditur: *Verſa eſt in luctum cithara mea, quia ſuſcepi de manu Domini duplicia pro peccatis meis, iuxta illud: duplici contritione contere eos.* mox cum ſinguli Congregationis, tum presbyteri, tum etiam laici ex more ad pedes eius acciderent, humilē ac facilem ſeſe omnibus exhibebat, eoſque humaniter amplectens, *Fratres* (inquiebat) *fratres ſumus:* itaque nihil vnquam ſingulare habere voluit domi foriſue: ſiquidem illud Eccleſiaſtici alte retinebat: *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* In exigendis ſingulorum officijs, non tam verba adhibebat, quàm exempla: neque enim quicquam alteri obſeruandum proponere conſueuerat, quod non ipſemet ante ſeruaſſet: itaque quamquam erat (vt diximus) conſcribendorum Annalium onere prægrauatus, atque aliarum rerum multiplici cura implicitus, tamen ſigno dato ad ſingula congregationis munera primus, aut inter primos veniens cæterorum opperiebatur aduentum, quandoquidem priuatis communia, aliena proprijs anteponere didicerat: igitur admirabili quadam ratione ſingulos in officio continebat, eoſque ad virtutem ac laborem incuſſo pudore prouocabat, non terrore: in ſubleuandis autem omnium & animi, & corporis neceſſitati-

bus

bus summam curam & diligentiam semper adhibuit; ægrotos frequentissime inuisebat, atque opportunis remedijs reficiendos curabat: Cum ex nostris vnus ad eum venisset,& se lectoris munere in Ecclesia ante sermones (vt moris est nostri) fungi amplius non posse affirmaret, quòd ea res studio sermocinandi impedimentum afferre videretur; *Bene habet*, inquit, *ex hoc tempore quoties in Ecclesia legere minus commode poteris, toties me admoneas velim, & libentissime id munus implebo*. cibo vescebatur cæteris communi, crassiore autem libentius, eoque parcissime: vestem induebat rudem, obsoletam, ac prope laceram; honores, & obsequia longissime auersabatur; quamobrem vbi per occupationes suas poterat, aliorum vel infima quælibet munia lætus obibat, & pauperum ac rudium potius, quàm nobilium atque illustrium virorum consuetudinem affectabat; quamobrem Principum curias adeo non frequentabat, vt earum aspectum perhorresceret, ac tolerare non posset; cæterùm vbi locus & occasio exposcebant, omnium horarum hominem dixisses, ita se ad aliorum arbitrium ac voluntatem accommodabat, ingenio autem erat adeo simplici, & candido, vt mentiri, aut fallere putaret neminem; id quod Sancti Viris Sanctus ascribit Ambrosius, *qui cæteros de suo affectu æstimant, ac libenter credunt, quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere, quod non sunt, iuxta illud Ecclesiastici: Innocens credit omni verbo*. quamobrem si quid ab aliquo peccatum esse falsò acceperat, hunc statim tanquam culpæ obnoxium acriter increpabat; cognita deinde causa, eiusdemque innocentia perspecta, seipsum nimiæ credulitatis arguebat, & quem paulo ante reprehenderat, eundem errati sui veniam humiliter rogabat. Hinc etiam interdum fiebat, vt si quis in aliqua re vel

leuiter offendiſſet, ſubito quodam naturæ impetu acrius fortaſſe, quàm par erat, hominem obiurgaret, mox facti pœnitens, aut ab illo veniam petebat, aut certe, ſi id fieri minus commode poſſet, humi proſtratus, quaſi ob graue aliquod delictum, diuinam pietatem & miſericordiam implorabat. Porro in conſultatione ac deliberatione rerum, ſententiam ſuam nec inaniter oſtentabat, nec obſtinate retinebat; ſed vbi primum veritatem perſpexerat, continuò ſine vlla contradictione acquieſcebat. Interea dum Præpoſiti munus diligenter exequitur, S. P. Philippus ad cœlum euocatur; quem Cæſar ipſe oleo ſancto inunxit, & iam abeuntem ſacris precibus, multiſque lacrimis proſecutus eſt. Accidit autem hoc tempore eidem Cæſari res plane memorabilis. Stabat ille cum cæteris Patribus de more in Eccleſia circa ſacrum cadauer, & qua potiſſimum prece eum rogaret, quem in cœlo feliciter viuere, & regnare pro certo habebat, ſecum ipſe cogitabat; ibi Deus illum in eam mentem impulit, vt Breuiarium aperiret, & quod ante oculos legendum occurrebat, inſpiceret: nec mora, librum aperit, & primo aſpectu ei ſeſe offert illud pſalmi: *Reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua*. qua deinde precatiuncula, tanquam diuinitus inſpirata, tum Cæſar ipſe, tum etiam alij noſtræ Congregationis alumni Beato parenti ſupplicare conſueuerunt; poſtero autem anno quàm Philippus deceſſerat, cum triennium iam in ſuo munere Baronius impleſſet, iterum Patres de more ad nouum Præpoſitum eligendum conueniunt, idemque plane conſenſus in eo retinendo extitit, qui olim fuerat in eligendo, quæ res quantam illi moleſtiam, quantumque dolorem attulerit, intelligi poteſt ex ijs præſertim litteris, quas hoc tempore dedit

ad

ad Patres Neapolitanæ Congregationis, vbi querelarum nullus est finis.

Protonotarius Apostolicus efficitur. *Cap. III.*

INter hæc de probitate & doctrina Cæsaris, opinio & existimatio apud omnes quotidie augebatur, adeo vt Clemens VIII. Pont. Max. lucernam ardentem atque lucentem denique super candelabrum ponere decreuerit; igitur post multam consultationem, ac deliberationem Baronium inter Protonotarios Apostolicos, eosque quos supernumerarios appellant, adscribere statuit, id quod qua demum ratione peractum sit, facile percipitur ex ijs, quæ per id tempus ipsemet Cæsar scripsit ad Antonium Talpam virum ex Congregatione Neapolitana sibi longe amicissimum, quicum omnia libere communicabat, ait ergo; *Equidem vix audeo præ pudore manum calamo admouere, nunciaturus rē, quæ mihi quidem ruborem & confusionem, tibi, cæterisque Patribus, fratribusque haud mediocrem dolorem sit allatura. En cecidit fulmen, antequam tonuerit. Die lunæ, qui fuit vigesimus Nouembris, hora noctis dimidia Pontifex cum sacra se confessione de more expiasset, continuò præter morem suum in thronum conscendit, perinde ac si Pontificium aliquod munus peracturus esset; tum verò in hanc sententiam locutus est mecum. Optamus vehementer, atque etiam rogamus te, Cæsar, vt nobis opera tua vti volentibus neutiquam contradicas; hæc illum, atque alia eiusmodi per summam lenitatem dicentem; ego, quod imminebat malum mente præsagiens, statim interpello, & mihi verò inquam (Beatissime Pater) magnum timorem incutiunt iustiusmodi exordia: ecquis enim, oro, est qui nesciat,*

 tibi

*me tibi ad nutum præsto esse debere. tum ille; quoniam scriptorem Annalium Ecclesiasticorum. Protonotarij Apostolici nomen ac dignitas maxime decet, ea te nunc demum insignire omnino decreuimus. hic ego reclamare fortiter cœpi, nequaquam hoc titulo opus habere Annales, qui iam toto Orbe recepti essent: quod si secus Beatitudini suæ videretur, nudus ac simplex titulus ad id mihi satis esse poterat, quemadmodum Galesino, atque alijs rerum Ecclesiasticarum scriptoribus: sin autem ea me dignitate exornandum censeret, quæ, & præsulem constitueret, & ad habitum immutandum compelleret, id enimuero me nunquam passurum, quod præsertim hanc rem non modò non honori aut dignitati, sed mihi quidem pudori & dedecori, cæteris etiam offensioni futuram esse certo scirem; quandoquidem experimento didiceram multos exterarum Ecclesiarum Antistites cum ad me venissent, atque hominem vidissent, attrita, ac prope sordida veste contectum, palam ac publice dixisse, hæc longe maiorem sibi admirationem mouisse, quàm quòd Annales conscripserim: nimirum magnum aliquem virum splendide ornatum, gregibus hominum stipatum, ac prope inaccessibilem proposuerant animo. hæc atque alia multa eiusmodi in medium proferebam, ac fortiter reluctabar, cum ecce tibi Pontifex formidabile obedientiæ fulmen emittit, & quiescere me statim iubet: nec tamen acquiescere potui, sed ingemiscere, & conqueri grauiter cœpi, quòd tam subito præcepti fulmine me perculisset, ac longe seuerius mecum ageretur, quàm cum alijs vnquam: quandoquidem Aueniononensis Archiepiscopus (*fuit is Franciscus Maria Taurusius) *non nisi audita causa, semel, atque iterum rogatus, denique post aliquod temporis spatium ad eam dignitatem ex obedientia compulsus fuerat; quamobrem mihi quoque spatium aliquod dari ad deliberandum, Deumque consulendum pateretur. At verò* (inquit Pontifex) *de hac re, & diu iam cogitauimus, & Deum sæpius consuluimus, atque eo tantum nomine hodiernum*

diernum Missæ sacrificium obtulimus, quamobrem, certum & deliberatum hoc nobis est. ego contra obijcio votum meum, quo me in hoc humili ac simplici vitæ statu perpetuò permansurum, Deo superisque omnibus promiseram; nec tamen audior; sed iterum præcepto obedientiæ constringor, quod quidem (rem miram) vocem mihi, & spiritum quodammodo auferre videbatur, vt lingua propemodum faucibus hæreret, & cum defensionem cogitarem, toto corpore contremiscerem, nec verbis exprimere possem, quod habebam in mente; itaque Pontifex cum in summas angustias adductum me videret, rursus obedientiæ præcepto vrgebat. ego verò me, vt poteram, perseueranter tuebar, & quoniam nullum rationibus locum relictum videbam, ad preces, & lacrimas me conuerto; nec quicquam proficio: quandoquidem Pontifex subiratus, quòd extorquere mihi consensum nulla ratione potuisset, accepto tintinnabulo signum dedit: ecce autem Pontificij cubiculi Præfectus, & cum eo pariter Didacus de Campo statim Pontifici præsto adsunt, atque ex composito violaceas vestes multas secum deferunt, quibus Pontifex e throno descendens imperat, vt e vestigio meis vestibus exutum me violaceis induant, & in proximum cubiculum ad se deducant, quò se recepit, vt sacrum amictum solemni ritu mihi preberet: vbi primùm Pontifex recessit, continuò illi in me manus iniiciunt, & pallium vi detrahere nituntur, ego contra reprehendere illud manu, & fortiter stringere, & clamare, nunquam me commissurum, vt ad Vallicellam alio habitu redirem, quàm quo exieram; in hac igitur pugna diu mihi multumque sudatum est, vsque adeo vt tota pene subucula sudore madesceret; denique, quoniam neque Hercules (vt dicitur) contra duos, ad pedes eorum me proiicio, eosdemque rogo atque obsecro, vt vel vnius dieculæ inducias mihi a Pontifice obtineant, rediturum me post eam diem, & dicto statim pariturum: tum verò amborum animis misericordia commotis, eorum alter intrò ad

Pontificem abit, & pro me enixe precatur, is denique foras exit, & de me multa conqueritur, aitque; sese optatum temporis spatium mihi denegare quidem nolle, sed certe inuito animo id facere, quòd præsertim videret, dignitatem eiusmodi subterfugere me omnino non posse, quandoquidem ea de re iamdiu apud se deliberatum esset; itaque vultu, atque animo subirato dimisit me, quem egredientem aulici omnes admirabantur, ita contentionis feruor frontem mihi, atque oculos immutauerat. Venerat mecum ea die in Palatium P. Germanicus Fidelis, quem Pontificio cubiculo præfectus foras egressus seducit, & quæ facta fuerant singillatim edocet, vt nimirum reliquos ex nostris Patribus de Pontificis mente ac voluntate certiores faceret; & alia huiusmodi. Nec verò illud omittam, quòd Pontifex animi mei angustias cum videret, quasi dolori leniendo hæc adiecit; nolle se ex Vallicellanis ædibus me extrahere, nec a pristinis vitæ institutis vlla ratione auocare, quin etiam optare se, vt in Ecclesia sacras confessiones audirem, & in Oratorio sermones ad populum haberem, nec quidquam omnino solemnium exercitiorum omitterem: cum autem illud opponerem, minus consentaneum videri & loco, & personæ, a me, præsertim intra Congregationis limites, seruitium & familiam comparari; respondit, duobus famulis rem peragi commode posse. adieci me a violaceis vestibus induendis longe, multumque abhorrere, sed ille nigras fieri iussit, tamen, quæ Præsulem decent, neque vllo pacto extorquere potui, vt proprias vestes foras circumferre liceret, ne scilicet (quod ait Pontifex) cæteris Protonotarijs offensionis, & querelarum daretur occasio: denique ab alijs functionibus, quæ publice in sacello Pontificio fieri consueuerunt, liberum me esse voluit, quamquam rationi valde consentaneum est (inquit) vt solemnioribus quibusdam diebus in eum locum omnes conueniant. Hora circiter secunda noctis domum redeo, & rectà ad B. Patris tumulum propero; rogo, obsecro, obtestor,

vt pro

vt pro sua veteri pietate, & charitate e tantis periculis me eripere dignetur; mox conuocatis Patribus tristem, lugubremque tragœdiam refero; obstupescunt omnes ad nouum, inopinatumque casum: de remedijs varie disseritur, denique decernitur, vt postridie duo ex nostris ad Pontificem adeant, & vt Congregationis nondum adultæ, atque firmatæ rationem aliquam habere velit, vehementer orent. Eodem tempore pro hac ipsa re Cardinali Cusano supplicatum est, qui non modò sese proxima die aditurum Pontificem, atque ex animo rogaturum promisit, sed etiam alios Cardinales Palæotum, Medicem, & Veronensem, eiusmodi legationis socios adhibiturum. At frustra: quandoquidem summò mane Didacus de Campo ad me venit, iubetque Pontificis nomine, vt quas attulerat vestes, statim induam: aderant tum forte mecum in Sacrario Cardinalis Pamphilius, & Abbas Maffa, alijque nobiles viri, qui audito Pontificis præcepto, vno impetu omnes obsident me, detractisque violenter vestibus, quas habebam, nouas inijciunt, renitente quantumuis me, ac repugnante. conuertat Deus monstra in bonum. Equidem fateor, operuit confusio faciem meam, *& quò maiores quotidie honores accipio, eò acriores pudoris stimulos sentio; Venerunt ad me per hos dies Cardinales aliquot, alij per nuncios me visitarunt; ego verò domi habitu meo vtor, meoque cubiculo; etsi enim Patres aliud cubiculum adiungere voluerunt, tamen acquiescere nolui; famulum vnum accepi, quendam nimirum ex meis in spiritu filijs, qui extra ædes nostras degit: præter hunc retineo amanuensem meum; quotidie mane in Ecclesia confessiones audio, vt solebam; in Oratorio sermones habeo, vt solebam, vno verbo idem sum, qui fueram: domesticos, vt ne alio quàm Patris nomine me appellent, seriò admonui; solus sub vesperam e domo in Palatium contendo more præsulis indutus, sed nigris vestibus: quoniam verò cæteri huius ordinis viri de hac re grauiter conquesti*

 sunt,

sunt, quòd scilicet præter omnem sui ipsorum Collegij consuetudinem nigris vestibus incedam, Pontifex per summam benignitatem me hortatus est, dicens, valde laudabile esse a communi aliorum vsu nunquam recedere; vnum exciderat, quòd cum me pertinaciter reluctantem videret Pontifex; Atqui (inquit) demum quiescere deberes, & beneficij loco ponere, quòd te e domo extrahere noluerimus; memineris porro, quemadmodum cum Auenionensi Archiepiscopo, & Caballionensi Episcopo actum sit; quibus ego minis adhuc acquiescere non potui, sed ingenue testatus sum, malle me fidei ac religionis causa ad Britannos, aut etiam ad extremos Indos mitti, quàm Præsulis more indutum per Vrbem incedere. Enimuerò, ait Pontifex, castiganda plane videtur hæc tua peruicax contumacia. Ego verò (inquam) Beatissime Pater, multò libentius ad carcerem ibo, quàm ad Vallicellanam domum istiusmodi veste obuolutus; denique eò licentiæ, ac prope dixerim impudentiæ, meus sermo processit, vt, nisi me Pontifex tanquam in spiritu patrem reueritus esset, non dubitem, quin longe acrioribus, & durioribus verbis me perculisset. En igitur, Pater mi, perijt fuga a me. *si me amas, imò, quia me amas, misereat te mei; consolare afflictos fratres, atque enixe roga, vt mihi sui ipsorum doloris authori humaniter ignoscant, precibus me apud Deum iuuate: cruciant me mala, & peiora perterrent: non ab re futurum existimo, si totius Congregationis nomine ad Pontificem scripseris, eumque rogaueris, ne vlterius procedat, sed ad Congregationis nostræ necessitates respiciat: plura habeo, quæ scribam, sed præ dolore, & confusione compos mei plane non sum. Deus O. M. tibi in omnibus præsto sit: omnes in Domino saluta.* Hæc Cæsar nouum hunc honorem, & dignitatem, quasi improperium, & miseriam deplorans; quæ ferme repetit in septimo Annalium tomo ad ipsum Pontificem scribens, vbi de Ruthenis ad communionem Sedis Apostolicæ nuper receptis

ceptis

ceptis verba facturus exordij loco, *Inter cæteros* (inquit) *eiusdem primi ordinis præclarissimos viros eidem operi mancipatos* (Protonotarios intelligit) *me, licet indignum, atque immeritum cooptasti; At quanto id animi ardore perfeceris, neminem latet: Etenim (Domini sententia) quod factum est in cubiculo prædicatum est in tectis: sciunt omnes vim tunc illatam, cum iuxta Propheticum illud*, velociter spolia detrahe, *aduersum me magno impetu actum est: cum verò tunc vidisses duos vni succumbere renitenti, diuina putasti ad perficiendum quod volebas, opus esse potentia, nempe Apostolica authoritate, qua tibi datum est, non terram tantùm, sed & cœlum posse subigere; vicisti tandem animum refractarium, atque flexisti ceruicem ferream, sed, fateor, non domuisti, vt impositum honoris iugum æquo animo ferrem, quod ad singula fermè momenta (scit Deus) a me excussissem, si licuisset.* Hæc eadem sæpius ad amicos scribens queritur, vt videre est in ijs litteris, quas hoc tempore dedit, maxime autem ad Io: Iuuenalem Ancinam nostræ Congregationis presbyterum, quem itidem ob plæclara virtutum merita Pontifex idem Saluciarum Episcopum creauit, quamlibet obsistentem, fugientem, ac fortiter repugnantem: in quo quidem munere ita se gessit, vt magnam suæ sanctitatis opinionem reliquerit: huic porro Cardinalatum sibi prænuncianti, ac metuenti hæc perbelle respondet: *Mouisti mihi risum, cum legens litteras tuas te adeo timere vidi, vbi non erat timor. ita me Deus liberum velit ab alijs malis, vt de hoc plane securus sum. ne tibi, quæso, facile suadeas asinos volare posse, quamuis interdum ephippijs, phalerisque illos videas ornatos.* Ex quibus satis aperte intelligitur, quantopere Cæsaris animus ab honoribus semper abhorruit. Per hoc fere tempus cum illum tanquam Cardinalem certissimum vir quidam nobilis etiam atque

etiam rogaret, vt amicum sibi hominem in familiam suam ascribi pateretur, vbi Cardinalatus nomen audijt, continuò, quasi aliquo graui ictu perculsus, in genua procumbens, & ad Deum exclamans ait: *Facessant a me longius, Domine, facessant istiusmodi onera, citiusque mors opprimat me, quàm grauem hanc sarcinam subire cogar.* sed aliter visum est illi, *qui suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem:* id quod quemadmodum factum fuerit, latius enarrabimus.

Cardinalis creatur. Cap. IV.

SEx iam fere menses abierant, nec tamen illius dolor sese vlla ex parte remittebat, sed recrudescebat quotidie magis, magisque, adeo vt dies noctesque miseram sortem suam deploraret, nec finem vllum faceret querelarum. accessit huc, quòd per hos ipsos dies, cum in Tusculanum venisset, nocte quadam per somnium audire sibi visus est S. Patrem Philippum dicentem; *Heus tu, Cæsar, Deus aliquid requirit a te, caue igitur tibi, & saluti tuæ prospicito.* quibus verbis in eam mentem impelli se sensit, vt vehementer vereretur, ne amplioris dignitatis onus sibi a Pontifice immineret, in quo nimirum vel accipiendo, vel sustinendo caute admodum agendum esset. Ecce autem de Cardinalibus proxime creandis tota Vrbe increbrescit rumor, quorum numero ascribendus Baronius certissime ferebatur. itaque de rei exitu suspensus atque sollicitus, meditatus est fugam, quam procul dubio statim arripuisset, nisi Patres, quos in consilium adhibuit, vno ore omnes

abnuis-

abnuissent; aiebant enim, non sine graui leuitatis atque arrogantiæ nota id fieri posse: quandoquidem de Pontificis mente nihil exploratum habebatur, & solo vulgi rumore res nitebatur. Igitur aliorum consilio acquieuit, seque continuit: interea verò ad opem diuinam de more confugit, ac præter lacrimas, macerationes, ieiunia, quæ tum per se, tum per amicos, & suos in spiritu filios ad Deum propitiandum adhibuit, voto insuper se Deo obstrinxit, si e tãto periculo eriperetur, Septem præcipuas Vrbis Ecclesias nudis pedibus sese obiturum; quod quidem iter duodecim millibus passuũ vix absoluitur. Ad hæc Pontificem adijt, eique de Cardinalibus eligendis consultanti Archiepiscopum Auenionensem (erat is Franciscus Maria Taurusius, quode supra meminimus) ante oculos posuit; ratus nimirum imminentem dignitatem a se longius reijci posse, si in alium nostræ ipsius Congregationis hominem transferendam curaret. accepit consilium Pontifex, qui iampridem optima inclinatione voluntatis in Taurusium propendebat: quare Cæsar a metu respirare cœpit, sed plane non sine metu; igitur prid. Non. Iun. sub vesperam e Palatio domum reuertitur lætus, ac bonæ spei plenus, quòd nimirum audisset Pontificem libere affirmantem, sese ex domesticis, aut sanguine coniunctis ad Cardinalatus dignitatem promoturum esse omnino neminem. Inter hęc Franciscus Cardinalis Sfortia, pro sua erga Congregationem nostram beneuolentia, vnum ex familiaribus ad Cæsarem ac cæteros Patres mittit, qui de Taurusio Cardinale certissimo proxima die renunciando suo nomine gratuletur; siquidem illum iam viderat in albo Pontificis conscriptum. erat tum forte Cæsar cum alijs Patribus, atque omnes pariter cœnati, vt mos est, animum recreabant: hoc itaque nuncio accepto exultare gaudio

dio visus est, ac subitò exclamauit, *Deo atque eius Matri Sanctissimæ gratias, quòd me de hoc periculo liberarunt*. sed, vt sunt humana omnia, citò ortum, citò occidit gaudium; necdum enim prior nuncius limen excesserat, cum ecce tibi alter ingreditur (fuit is Offredus de Offredis Petri Cardinalis Aldobrandini cubiculo Præfectus) qui Pontificis, eiusdemque Cardinalis nomine Cæsarem admonet, vt proximo mane domi se contineat, in Palatium deducendus, & Cardinalatus insignia sumpturus. hic verò exhorruit ille, & expalluit, vultuque in terram demisso: *At tu* (inquit) *Cardinali Aldobrandino gratias age, atque a me dicito; aditurum me proximo mane ad Pontificem, eique rationes allaturum, quamobrem hanc dignitatem suscipere omnino non possim*. Interea Pontifex nuncij reditum præstolabatur, nec ante cubitum ire voluit, quàm Baronij responsum acciperet: quo audito, Cardinalem Aldobrandinum accersit, ac præcipit, vt Baronio omnem aditum ad se omnemque viam intercludat, *Siquidem illum* (inquit) *audire nolumus. Igitur vsque ad horam Consistorij ei moras nectito*; hoc interim spatio Cæsar, dimisso nuncio, statim Patres conuocat, rem totam exponit, sententiam rogat, num fuga, quod ipse iampridem decreuerat, huic malo medendum existiment. Visum est omnibus, fugæ remedium, tanquam minus efficax, minusque opportunum prætermittere; vbi enim gentium latitaret homo, vulgata iam per Orbem totum Annalium fama, vbique notissimus? Itaque multo satius esse, adire Pontificem; eique causas afferre, quamobrem eam dignitatem suscipere non posset. hoc inito consilio Cæsar summo mane Missæ sacrificium peragit, atque e suis in spiritu filijs aliquot cœlesti pane reficit, quos vt precibus se opportune apud Deum

adiuuent

adiuuent, enixe rogat; imploratoque cœlesti præsidio vnà cum Germanico Fideli, & Pompeio Paterio Congregationis nostræ presbyteris in Palatium venit, & quamquam alienum tempus esset, ad cubiculum vsque Pontificis peruentum est, nemine aulicorum interpellante. ecce autem ab Aldobrandino ad Cæsarem nuncius, qui statim inde abscedere eum iubet, & ad se venire: cui ille *Ego verò, nisi adito Pontifice ex hoc loco recessurus plane non sum*. iterum Aldobrandinus monet, rogatque, vt statim ad se aduolet, aditum ad Pontificem nequicquam tentari; siquidem ipsemet Pontifex id nominatim prohibuisset. tum denique Cæsar cedit, & ad Aldobrandinum deductus exclamat, se loqui omnino velle cum Pontifice; mox positis genibus, suppliciter procumbit, atque infimis precibus rogat, vt ab eo consilio Pontificem auertere toto pectore studeat: ille vbi hominem tam certo, tamque obstinato animo loquentem videt, continuò vestes petit, ac sumit, (necdum enim e lecto surrexerat) &, quamquam inuitus, ad Pontificem adducit; tum verò Cæsar ad pedes Pontificis prouolutus, orat, obsecrat, obtestatur, ne se ætate iam grauem tantæ dignitatis onere prægrauaret, atque hominem laboribus defessum e nidulo suo, in quo iamdiu mori decreuerat, nunc demum violenter extraheret; neue occasionem præberet hæreticis, qui cum quotidie Annalium scriptioni inuidiose detraherent, postea in authorem ipsum, tela missuri essent, & palàm dicturi, non aliam ob causam sese ad Ecclesiasticam historiam conscribendam animum applicuisse, nisi vt ea ratione aditum sibimet ad honores & dignitates aperiret. Præterea si Annalium scriptionem diligeret, si ad Ecclesiasticam rem momentum aliquod vllo vnquam tempore allaturam existimaret, scribenti otium

ti otium atque occasionem ne eriperet: denique e tutissimo priuatæ vitæ portu, atque e sinu matris, hoc est Congregationis suæ abstractum fluctibus negotiorum ne committeret; vbi vel peritissimi sæpe naufragium facerent. Hæc atque alia dicenti lacrimæ vbertim cadebant. cui Pontifex; & rationes istiusmodi omnes sese iam olim expendisse, & rem accurate admodum considerasse testatur; igitur quiesceret, & ad Dei voluntatem se conformaret; e Palatio exiturum non esse, nisi purpuratum. obstrepant licet hæretici, & per inuidiam summam quantumlibet obtrectent, sese eo præsertim consilio id facere, vt ipsimet catholici nominis hostes intelligant, Christianæ vitæ probitatem, cum Ecclesiasticis dignitatibus maxime congruere. De Annalibus nihil laboret, curaturum se diligenter, ne nimio negotiorum pondere opprimatur. His dictis Pontifex, Petro Aldobrandino præcipit, vt eum in suas ædes perducat, & Cardinalium more in coronæ speciem, & similitudinem tonderi iubeat. quo audito Cæsar, perinde ac si capite damnatus esset, grauiter ingemiscebat, & quibus poterat precibus Pontificem, ne faceret, obsecrabat. sed ille: *Enimuero durior, quàm par est, mihi videris, neque vltra iam clementer accipiendus. ergo qua fungimur Apostolica authoritate iubemus, atque imperamus, vt pareas, nec quicquam vltra loquare: ni facias, anathematis sententiam incursurum te certò scias.* hìc verò, veluti improuiso quodam fulmine tonitruque perculsus, oculos in terram deiecit, & quò plus vocem comprimebat, eò copiosiores lacrimas exprimebat dolor; ita dimissus a Pontifice, pallenti ore, humentibus oculis, mœrentem, ac tacitum Aldobrandinus manu præhendit, & ad se deducit: Cynthioque Cardinali S. Georgij, Syluio Antoniano Apostolici cubiculi præfecto,

ac

ac duobus ex nostris, qui, vt diximus, tanquam auxiliares socij Cæsari sese adiunxerant, & rei exitum sollicitì expectabant, omnia sigillatim refert, aitque: *Hic enimuero per ostium intrauit*, quòd nimirum ad eam dignitatem non amicorum aut diuitiarum præsidio suffultus, sed vnius virtutis auxilio & ductu vel inuitissimus ascenderat. Interea cum aliqui ex Cardinalibus, qui ad Consistorium de more vocati in Palatium venerant, tantæ mœstitiæ, tantique doloris caussam ab eo percontarentur, neque vllam prorsus rationem esse dicerent, cur tantopere contristaretur, *Vos* (inquit ille) *læto animo estote, ego vero sentio, & quamdiu viuam, sentiam onus hoc grauissimum, quòd humeris meis hodie imponitur*. adiecit præterea, qui Episcopatus, Cardinalatus, & Pontificatus dignitatem ideo acciperent, vt tranquille & beate viuere possent, eos haud leui coniectura reproborum numero ascribendos esse: in eamque sententiam plura afferebat argumenta. Itaque cæremonijs omnibus, quæ in Cardinalibus creandis fieri solent, expletis, dolore ac pudore potius, quàm purpura coopertus, in ædes se recipit; quas illi Pontifex prope Bibliothecam Apostolicam parari iusserat; ibi solus, remotis arbitris, secum ipse statim cogitare cœpit, quæ res potissimum viro ad Cardinalatum euecto prorsus indignæ sibi olim visæ fuerant: vt nimirum, quæ in alijs ipse reprehenderat, ab ijs nunc sese abstineret. illud autem primum omnium animo occurrit, plerumque vsuenire, vt si forte quispiam ad Cardinalatus dignitatem extollitur, continuò propinqui atque amici omnes fausta & felicia quæque ominentur, & summum Pontificatum illi præsagiant. quamobrem, vt sunt plerique amantes sui, & ad honores dignitatesque propensi, sæpe hominem in eandem opinionem adducunt,

ducunt, & ad supremam illam dignitatem vno iam gradu proximam appetendam, atque adeo affectandam impellunt: quo quidem nihil Ecclesiastico viro indignius, nihil Christianæ Reipublicæ perniciosius esse existimabat. Igitur vt se ab huiusmodi præstigijs atque captionibus vsquequaque tueretur, statim decreuit, &, voto etiam nuucupato, Deo firmiter promisit, nihil vnquam se, aut dicto, aut facto commissurum, quod viam sibi vllo pacto ad Pontificatum munire posset. itaque ne qua ratione grauissimam atque arctissimam hanc legem transgrederetur, ita deinde se gessit, vt non modò amicitias, clientelas, atque id genus alia sibi comparare noluerit; sed ea etiam facere non dubitauerit, quæ ad illam dignitatem aditum obstruerent, atque intercluderent. Interea de Baronio ad Cardinalatum assumpto fama non modò Vrbem totam peruasit, sed breui etiam Orbem prope vniuersum compleuit, gratulantibus omnibus, virum doctissimum, eundemque sanctissimum ad eam dignitatem elatum, in qua Christianam rempub'icam iuuare, atque illustrare maxime posset. At verò in communi omnium lætitia & plausu, Congregationis nostræ Patres non mediocri dolore afficiebantur, quippe qui & virum istiusmodi sibi ereptum videbant, & eundem tanto mœrore correptum, vt nullam omnino consolationem admitteret. Illud autem hoc loco prætermittendum non est, Baronij Cardinalatum, longe ante a S. Patre nostro Philippo præcognitum, atque prænuntiatum fuisse. primùm enim, quadam die loquens cum suis aliquot, & ad Cæsarem se conuertens, *Tu* (inquit) *Cardinalis quidem eris, non autem Pontifex, quia præduro ingenio es, & nimis austero.* id, quod & aliàs sæpe prædixit Pater: deinde cum ad eum aliquando venisset Ioannes Franciscus Aldobrandinus;

dinus, Clementis VIII. fratris filiæ coniux, videretque duo Cardinalatus insignia depicta, & parieti affixa, in quorum medio duæ hominum caluariæ delineatæ erant, rogauit Philippum, quid rei hoc esset, quidue portenderet; cui ille, quamquam initio responsum declinabat, ad extremum tamen *Hoc* (ait) *indicio est, duos ab excessu meo, ex hac mea Congregatione Cardinales futuros:* nec dicto fides abfuit, siquidem anno post quàm ille euolauit ad cœlum, Taurusius, & Baronius (vt diximus) ad hanc dignitatem compulsi sunt.

Quemadmodum se gesserit in Cardinalatu. Cap. V.

IGitur ad eum honorem assumptus vestem mutauit, non animum, quem humilem semper atque demissum retinuit, illud Ecclesiastici mente reuoluens, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*; itaque cumprimùm se purpureis vestibus indutum aspexit, *En* (ait his qui aderant) *saccum hunc purpura cooperuistis*: cumque ad illum vnus a cubiculo Pontificis venisset, qui purpureum pileum deferebat, nihil ad eum Cæsar (erat tum forte in triclinio nostro apud nos de more pransurus, nec dum discubuerat) sed manu cuidam ex nostris, vt acciperet, indicauit, aitque, *Accipite, & suo tempore sepulchro meo illum appendite*. interea nostri, non tam gratulandi, quàm consolandi gratia ad ipsum cum adirent, tanta eos humanitate atque animi demissione suscipiebat, vt singulis occurreret, atque in genua etiam procumbens, eosdem dulciter ample-

ctaretur dicens, *Fratres, fratres sumus*. Venit ad eum hoc tempore Angelus Vellius Præneſtinus, vir noſtris laudibus maior, qui poſt Baronium Præpoſitus Congregationis renunciatus, antequam ad Pontificis pedes accederet, de honore eidem Congregationi collato gratias acturus, Baronium ipſum adire voluit, cui ille extemplo obuiam factus omne officij genus exhibuit, mox manu prehenſum intrò in cubiculum duxit, eiuſque genibus aduolutus, quam fortiter tenebat dexteram, oſculabatur, dicens, velle ſe tanquam Congregationis filium debitam illi obedientiam, ac reuerentiam præſtare: qua re ſtatim commotus modeſtiſſimus Pater in terram ſeſe & ipſe deiecit, ſicque pari humilitate atque humanitate vtrinque certatum eſt. Alia etiam die, cum ad illum veniſſet idem Vellius, & quòd raro eum inuiſeret, ſeſe pluribus excuſaret; *Ne quæſo* (inquit) *Pater, ita loquere, ſed mecum perinde agito, quaſi cum domus ianitore*. Præterea tum a noſtris omnibus, tum etiam ab alijs admoneri & corripi flagitabat: nec quicquam aliud vehementius ab amicis, hoc maxime tempore, exigebat: quamobrem ad Io: Iuuenalem Ancinam per hos dies reſcribens, hæc ait. *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: At quænam, & vbi ipſa domus luctus? cogita, te quamprimum auditurum, Cardinalem Baronium vitam finiſſe, tum altius philoſophaberis, & dices illud Sapientis*; Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? vere vere omnia vanitas *adijcies, & illud:* Melior eſt dies mortis, quàm dies natiuitatis: *illo enim naſcimur ad pericula, iſto eripimur a periculis: videſne quòd in domum luctus melius ſit ire, in qua quiſque momento temporis magnus philoſophus efficitur? Hæc, frater, de me velim cogites, & pro me Deum depreceris; Vale, meque ſalutaribus interea monitis corrobora*.

Nec

Nec ita multo post, quod optabat beneficium, adeptus, eidem Ancinæ gratias agit, aitque, *Perlibenter lego litteras tuas, eòque gratius, quò admonitionum sanctarum sale conspersa gustui meo sunt sapidiores; sic perge, vt cœpisti, & ad plenius condimentum, adde preces ad Deum, sic planè fiet, vt me delectando simul pascas, atque corrobores*. Hæc Cæsar nuper ad Cardinalatum euectus: ex quibus facile perspicimus, qualem in ea dignitate mentem retinuerit. Quamquam autem illi statim Pontifex ædes in Vaticano parandas curauerat, atque ea quidem supellectile instructas, quæ Cardinalem decebat; tamen ne qua ratione a sua paupertate, atque humilitate recederet, ligneam sibi cellulam in ijsdem ædibus componi iussit, quæ nihil aliud contineret, quàm lectulum suum breuem, ac simplicem, feretri potius (vt diximus) quàm lecti speciem habentem, ligneàm sellam, scriptoriam tabulam, scabellum genicularium, æreum catillum ad manus abluendas, pyxidem veterem, & longo vsu attritam, cum ferro, silice, ac sulphure, lucernam, atque atramentarium rude ex argilla, quo ad extremum vsque vitæ finem vsus est. In victu eandem rationem tenuit, quam in nostra Congregatione seruauerat: cibi, somnique parcissimus, quod a publicis negotijs atque occupationibus tempus surripiebatur, diligenter recuperare studebat: domesticos omnes (quod infra dicturi sumus) quà exemplo, quà auctoritate in officio continebat. ad nos cum diuerteret (quod sæpe fiebat) dimissis famulis, solus in antiquam cellulam suam sese recipiebat, nec quicquam præ alijs in mensa habere voluit, præter loci dignitatem: quin etiam ipsemet interdum linteo præcinctus cæteris omnibus discumbentibus, (vt apud nos moris est) mensam ponere, & cibos ministrare consueuerat. Ad no-

nostram Ecclesiam veniens, Missæ sacrificio peracto, sacrum Christi corpus confluenti populo frequenter administrabat; festis autem diebus, vespertinis horis celebrandis in Choro cum presbyteris nostris intererat: eiusque exemplo commoti multi alij eiusdem Ordinis viri, idem præstabant; post vesperas decantatas e suggestu, vt mos est, sermonem ad populum habebat. a sacris confessionibus habuit neminem, nisi quem Congregatio suis hominibus constituisset, ad eumque accedens, publice in Ecclesia genuflexus nullo supposito puluillo, quod aliàs etiam reijciebat, conscientiam suam expiabat. Quæ quidem res intuentibus non paruo erat ad Christianam pietatem incitamento. Purpureas vestes, quas a Clemente Pontifice initio accepit, per vndecim annos, quibus Cardinalatum gessit, nunquam mutauit, quamuis longo vsu attritas, & prope consumptas: thorace, ac femoralibus pelliceis vilibus atque obsoletis, quibus olim vtebatur, ad mortem vsque vsus est. Ecclesiasticos prouentus a Pontifice nunquam petijt, quamuis initio Cardinalatus exiguos haberet reditus, & qui ad eam dignitatem sustinendam plane non sufficerent: de qua quidem re Ferraria Neapolim ad Antonium Talpam scribens, hæc ait: *Pontifex Diœcesis huius aliquot loca visitauit, meque sibi comitem adiunxit; per hos dies Abbatiam mihi conferre voluit in Hydruntino sitam, sed quoniam iurisdictione gaudet Episcopali, accipere illam nolui; neque enim visitare eam pro libito potuissem; præstat parum, aut etiam nihil rerum habere, quàm animarum cura onerari: quid acturus sit Pontifex, nescio; mihi decretum est, omnino nihil petere, sed a Dei prouidentia vsquequaque pendere, nequando me de Ecclesiasticis prouentibus quicquam quæsiuisse pœniteat. Multi amicorum me reprehendunt, sed abundet vnusquisque in sensu suo: hoc ego &*

mihi

mihi tutius, & ad aliorum exemplum vtilius existimo. Verùm qui ab Ecclesiasticis reditibus petendis adeo alienum sese ostendit, Titulum contra libere petijt a Pontifice, atque etiam obtinuit, nimirum Ecclesiam SS. Nerei, & Achillei vetustate collapsam, & prope solo æquatam, pro qua reficienda, atque exornanda multam pecuniam iusto fœnori sumere non dubitauit: sed ea de re suo loco fusius dicturi sumus. Per hæc ferme tempora cum vita functus esset Antonius Cardinalis Carrafa Bibliothecarius Apostolicus, vir pietate, & eruditione clarissimus, in eius locum electus est Cæsar, qui pro tam singulari beneficio Clementi VIII. Pontifici debitas gratias agit in epistola octauo Annalium tomo præfixa, aitque: *Cuius rei gratia ob recens in me collatum honorificum Bibliothecarij Apostolicæ Sedis munus, ei congruum donum offero, librum scilicet, veluti fructum perceptum ex latifundio, quod excolendum accepi; primitias ipsas debitas sacerdoti, qui eas primùm offerat Deo bonorum omnium auctori, deinde verò in suum conuertat vsum, parans ex ijs lautissimam sibi mensam ex rebus præclarè gestis sanctissimorum prædecessorum Pontificum, quibus vescens epuleris opiparè & de reliquijs dispertiendis in populos cumules Apostolicos cophinos fragmentorum*.

Cura Domesticorum. Cap. VI.

QVoniam verò Apostoli verbo, Ecclesiastici viri partes eas esse nouerat, vt *suorum, maxime autem domesticorum curam habeat*, idcirco quamquam assiduitate studiorum, & quotidianis occupationibus implicitus, aliud agere videretur, re vera tamen in gubernanda familia totus erat; in qua

quidem re durior, atque austerior fortasse videbatur, quàm mores huius temporis ferre possint; siquidem; vt erat ingenio subito atque præferuido, si quid ab aliquo vel leuiter peccatum esset, statim acriter increpabat, eumque extemplo ædibus suis deturbaturum se minabatur: id quod exquisitæ morum integritati ac puritati potius, quàm nimiæ austeritati tribuendum videtur; cætera enim mitis & placabilis erat; atque; vbi primus ille animi feruor, & impetus remiserat (quod statim fiebat) & se ipsum acriter arguebat, & quem correxerat, humaniter amplectebatur; itaque quà timore, quà amore domesticos omnes ad virtutem suauiter impellebat. Quamobrem Iustus Caluinus vir clarissimus, idemque doctissimus, qui Annalium beneficio ex hæretico Catholicus, Baronij fidem, & nomen accepit (vt suo loco dicturi sumus) cæteris eius virtutibus hanc quoque non vltimam laudem adscribit; aitque: *Ambulat inter suos, non quasi Dominus, sed parens: eminet, excellit; tum virtute, & grauitate elatior alijs & excelsior; cætera par omnibus, & hòc saltem maior, quò melior: iuxta eum maxima quies, tantum vbique silentium, & tam altus pudor, vt ad paruos penates, & larem angustum ex domo Principis modestiæ & tranquillitatis exempla referantur.* Hæc ille; qui vt Cæsaris domum diligenter inspexerat, ita in eius laudes identidem prorumpit, atque *omnium virtutum, pietatisque sacrarium* appellat. Hoc igitur primum in more positum habuit, vt singulis mensibus domesticis omnibus sacra confessione expiatis Eucharistiam suis ipse manibus administraret; ad hæc sabbato cuiusque hebdomadæ Dei verbo eosdem reficiendos curabat, sermonemque de rebus diuinis ad illos, vel habebat ipse, vel certe, quod plerumque fiebat, vnus ex nostris. huic porro dicenti non modò aderat ipse, sed

etiam attentiſſimas aures præbebat, adeo vt aliquando inter eundem ſermonem audiendum, ſemel atque iterum accitus a Pontifice, qui ab ea ædium parte prope aberat, ſolus conſurgeret, atque aulicis ferme omnibus in auditorio relictis, ad Pontificem aduolaret, ab eoque ſe quàm citiſſime expediret, vt ad ſermonem audiendum rediret. Veſperi quotidie cum ſuis omnibus in domeſticum ſacellum conuenire ſolebat, ibique Litanias, aliaſque pias ad Deum preces vnanimes recitabant. Menſam cum ſuis ſibi communem eſſe voluit, in qua (dum fieri poterat) ex noſtris ſiue presbyteris, ſiue laicis, aliquem optabat; alios præterea religioſos viros, præſertim aduenas Epiſcopos, ſemper inuitabat, vſque adeo vt Oeconomo mandauerit, hac de cauſa largius quotidie obſonaret: & ne a Congregationis ritu diſcederet, Lectorem etiam adeſſe volebat, a quo primùm e ſacris Biblijs aliquid, deinde pij cuiuſpiam auctoris monumenta, denique probatæ Sanctorum hiſtoriæ, vel ſalutaria documenta italicè conſcripta legerentur. Lectione autem finita (neque enim vltra dimidium prandium extendebatur) ex ſacris litteris aliquid, aut ex morali diſciplina proponebatur, ad quod ſinguli diſcumbentes reſponderent. Si quis forte ſuorum in ægritudinem incidiſſet, quicumque ille eſſet, ſiue primus, ſiue vltimus ex familia, æqualiter omnes quotidie inuiſebat, amiciſſimis verbis conſolabatur, & adhibitis omnibus remedijs diligenter reficiendos curabat. quibus paternæ charitatis officijs, mirum eſt, quantum ſibi amoris & beneuolentiæ apud domeſticos omnes conciliaret.

De accepto Cardinalatu dolere pergit, & ab eo se abdicare contendit.
Cap. VII.

MAgnam sane virtutem Cæsar ostenderat, cum oblatam Cardinalatus dignitatem tanto cum animi ardore declinauit, & fugit; sed non minorem plane constantiam præsetulit, dum, & impositum sibi honorem maximo cum dolore sustinuit, & a se longius reijcere sæpe tentauit. longum est; & non necessarium, quotidianas eius querelas retexere, quas apud amicos omnes tum præsentes, tum etiam absentes effundere consueuerat, miseram suam sortem deplorans, crucem suam, compedes suos (hisce enim vocabulis Cardinalatum appellabat.) idcirco pauca ex ijs dumtaxat seligemus, quæ tamen huius rei plenissimam fidem faciant. in primis autem operæpretium est audire illum in septimo Annalium tomo ad Clementem VIII. Pontificem scribentem, vbi enim de obstinata voluntate sua in recusanda dignitate pluribus se excusauit, accusat Pontificem ipsum, quasi de vi, & metu. *Ista enim* (inquit) *considerans, non est, quod queri possis, Pater sanctissime, quòd Sanctitati tuæ ipse adeo videar reluctatus: sed, si liceret, esset mihi iure expostulandum, quòd cum a prædecessoribus tuis, qui me a priuatæ vitæ portu abstrahere non semel voluerunt, tamen quam deprecatus essem, obtinuerim honorum immunitatem; a te verò, a quo magis amari scirem, nequaquam potuerim impetrare: sed quò mei amantiorem (venia petita dixerim) eò violentiorem expertus sum, cum per tuos seorsum abreptus, cubiculo clausus, vixque tandem vt audirer, multum rogans admissus, ante conspectum tuum*

Angelis

Angelis reuerendum, poſt meam defenſionem, abs te reſponſum illud vnum tantùm acceperim, quo robuſta voce diram anathematis protuliſti ſententiam, ſi ampliùs reſiſterem, & niſi penitus acquieſcerem. Quem non terruiſſet, ac non penitus deieciſſet atque proſtraſſet talis erumpens e cœlo repente tanto fragore tonitrus, fulmen æternæ damnationis explodens? Ita ſubactus, etſi manus dedi, non æque animum: ſi enim licuiſſet, retraxiſſem illas, ſicuti Zara olim, dum e materno vtero progreſſurus, vbi ſe altera manu vinctum coccino ſenſit, primigenia non curans, eam retrahens eundem repetijt vterum, malle ſe non naſci ſignificans, quàm vinctum purpura progredi; ſed ſicut natura tandem ille ceſſit imperio, qui ſupra naturam quiddam admiratione dignum viſus fuerat operatus: ita & ego legibus Chriſti obtemperare coactus, tanquam abortiuus ſum proiectus ex vtero, illo videlicet, in quo ſemel conceptus ſpiritu, cupiebam formari in virum perfectum, nec exire, donec transferrer ad tumulum, ne oculus me videret: *Maternum iure dixerim vterum domum illam, in qua poſt conceptionem illam meam coaleſcere cum fratribus meis, diemque extremum claudere, abſque aliqua lucis vſura, fulgore videlicet cuiuslibet dignitatis, in mentis firmo propoſito erat, ne illud audirem infauſtum*: Quare miſero data eſt lux? *Lux enim (inquit S. Gregorius) miſeris datur, cum & tolerare honoris munèra compelluntur*. Et quò vnuſquiſque facile intelligat, Cæſaris dolorem temporis beneficio ne tantillum quidem lenitum eſſe; immo verò quotidie magis recruduiſſe, audiamus illum ad finem eiuſdem tomi poſt multas querelas hæc perorantem; *Meritò mihi lamentandum, illudque lugubre dicendum*: Quare egreſſus ex vtero? quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus? nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum Regibus illis & Conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines. *Hæc dum mecum*

verſo,

verso, laudare non desino senem sapientissimum illum Berzellaium, qui a Rege, licet sanctissimo, inuitatus in regiam, ad quietem, ad securitatem, ad gloriam: Non indigeo (*inquit*) hac vicissitudine; sed obsecro, vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ: *iure præferens aulæ regiæ patriam sepulturam, atque regium apparatum posthabens vitæ rusticæ hactenus feliciter ductæ: sed & quem sapientem prædico, non desino beatum atque felicem dicere atque inuidere, dum quod rogauit, est consecutus; nec fuit iussu Regis retentus inuitus, sed permissus latus ad propria remeare, atque in pace vitæ cursum absoluere. Ast ego cum a quiete, & tranquillitate, alijsque bonis abstrahar violenter, atque inuitus abripiar, vnum dumtaxat reliquum est, quod petam, vt cum hæc adeo inquieta, tristia, ærumnosa, metu plena atque periculis, nonnisi, te curante, Dei genitrix, mihi contigerint, tu ipsa per lubrica gradienti, in summo versanti discrimine, deque æterna salute ad singula momenta periclitanti, feras opem assidue, & fluctuanti præsidium afferas: alioquin perplexos resoluas laqueos, atque molestæ & inuitæ vitæ fila disrumpas, ne ob inanem gloriolam istam miser incautè veræ perennis gloriæ dispendium patiar.* Ex quibus videre licet, quanto studio, quantisque votis Cardinalatum dimittere flagitauerit. illud autem hoc loco animaduertendum nobis est, idcirco Dei genitricem ab illo suæ dignitatis auctorem appellari, quòd olim cum morbo periculosissimo laboraret in ædibus Florentinorum, eamque ardenter inuocaret, audire sibi visus est dicentem, *Bono animo es Cæsar, nequaquam morieris, sed eris magnus Ecclesiæ Præsul.* nunc ea videamus, quæ ipsemet scribit ad Antonium Talpam. *Ego* (inquit) *meam crucem fero, quæ cum sit aurea, leuior fortasse cuipiam videri possit, sed certe longe onerosior mihi est, quàm si*

eſſet ferrea. Et ad eundem: *Egeo (inquit) veſtris orationibus, quòd imbecillo animo ſim, & prope obruar mœrore, ac tædio vitæ; niſi Dei offenſam timerem, mihi credite, pallium meum reſumerem, & ad priſtinum ſtatum redirem. Cardinalis Auenionenſis aduentum leuamento mihi fore confido; Deum rogate, vt liberet me a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.* Hæc atque alia eiuſmodi ex animo conquerebatur per eos menſes, quibus ad hanc dignitatem promotus eſt. anno autem poſt, quaſi longo iam tædio victus, cum diutius hanc crucem ferre non poſſet, ad eundem Talpam hæc ſcribit. *Accipe (quæſo) patienter, quod iamdiu ad te ſcribere cogitaueram, ſed hactenus me continui, incertus, quonam ſpiritu res ageretur, quemadmodum etiam nunc dubito: ſecretò hoc audi; ea tecum fiducia loquor, quæ mihi olim cum B. P. Philippò interceſſit; procido itaque ad pedes tuos, vt grauem tibi cogitationem aperiam, quam ſæpe ab animo propulſaui, quòd a malo dæmone immiſſam crederem, ſed cum videam eam diutius perſeuerare, augerique in dies magis magiſque, a Deo eſſe facilè mihi perſuadeo. Ex ea die, qua creatus ſum Cardinalis, tantam moleſtiam, tantamque triſtitiam cœpi, vt prope dolore conficerer, & hoc vnum me conſolabatur, fore aliquando, vt graue hoc onus deponerem, & Cardinalatu me abdicarem, cuius rei conficiendæ opportunitatem hucuſque expectaui; tenuit autem me, ne id facerem, ſuſpicio quædam, ne ſcilicet hominibus præbeatur occaſio dicendi, me idcirco in hanc ſententiam veniſſe, quòd eos mihi prouentus Pontifex non attribuerit, qui, & hunc ſtatum decent, & alijs etiam regularibus dari conſueuerunt; hoc me primùm cohibuit, ne id facerem; huc accedit, quòd certo ſcirem, Pontificem ex ea re magnum dolorem ſuſcepturum, & in eandem ſuſpicionem cum alijs pariter facile venturum; hæ duæ res me retinebant: quibus addo tertiam, quæ quidem præcipua eſt, nimirùm vereor, ne ingen-*

ingentes de me rumores excitem, nec tamen quod velim, obtineam; & quod vulgò dicitur, grandem me in foro venditem, & loquendi de me nequicquam materiam præbeam. En statum vitæ meæ longe amarissimum, in quo manere, dolor est intolerabilis, a quo recedere, plane difficillimum; itaque rem totam tibi aperire volui; nec verò, responsum, aut deliberationem festines velim, sed rem continuatis precibus cum Deo consulas, & ab omni humano affectu penitus abstractus animi tui sensum liberè significes. Si hoc beneficium impetro, spondeo & promitto Romam illicò me relicturum, & ad vos istuc aduolaturum, vbi noua spiritus tirocinia ponam, ne me imparatum vicina mors opprimat. Scis optimè, quanti sit reliquos hos paucos dies, piè sanctèque traducere, & præ æternis illis bonis isthæc fluxa, & caduca contemnere; oro te, id mihi consilium dato, quod verum amicum decet, virumque ab omni humano affectu seiunctum. Hunc animi mei sensum nemini vnquam aperui; nisi forte aliquando per iocum verbulum aliquod excidit, quod itidem ab aliis tanquam iocose dictum, acceptum est; quamquam (vt verum fatear) ex abundantia cordis os loquitur, nec possum me continere, quin aliquid, saltem interruptè loquar; quemadmodum accidit iis, qui carceribus detinentur: dicere enim identidem solent, heu quando tandem egrediar? Denique his omnibus illud addo, veræ vocationis indicium esse, cum in eo statu pacem & quietem inuenimus, ex quo quidem certò affirmare me posse existimo, neutiquam me ad hunc statum a Deo fuisse vocatum; quandoquidem in eo quietem animi, aut pacem nunquam, nunquam, nunquam, nunquam inueni. Hæc igitur omnia diligenter expendito, & cum maturè singula consideraueris, atque examinaueris, quæ tua sit sententia, ad me rescribito; omnia autem secretò agantur. Neque hic finis querelarum fuit, sed iterum, ac sæpius super hac ipsa re ad eundem scribit, & se maiori quotidie desiderio dimittendæ digni-

tatis

tatis laborare significat; siquidem molestia; & sollicitudo in dies crescere videbatur, ita vt tæderet illum etiam viuere, nec aliam omnino, nisi de vicina morte consolationem capiebat. At Deus, qui ad eum honorem, publico Ecclesiæ bono, Cæsarem euocauerat, Antonium in hanc mentem impulit, illum vt moneret, nequaquam reijciendam esse eam dignitatem, quam & sola Pontificis voluntate, atque auctoritate compulsus acceperat, & in qua toleranda ingentem meritorum cumulum sibi comparare poterat: quod sanè consilium a Cardinali Taurusio pariter cum accepisset, Cardinalatum quidem, vti iam in animum induxerat, non repudiauit, verumtamen quam retinere dignitatem cogebatur, eam deinde tanquam domesticum inimicum semper habuit, cuius ne aspectum quidem, aut vmbram ferre poterat; quamobrem neque priuatum sacellum, neque cubiculum, neque aliam ædium partem, præter communem omnium Cardinalium consuetudinem, purpureis vestibus, velisque ornari vnquam permisit. Quadam die cum illi sanguis flueret e naribus, & qui tum forte aderat Medicus diceret, medicæ artis peritos super hac re illud præscribere, ne quis, dum flueret sanguis, rubras vestes haberet, aut aspiceret, eò maiori alacritate purpuram sibi detraxit, ac prope discerpsit. alia die cum grauiter ægrotaret, & Medicus itidem ad epithemata, & fomenta quædam facienda panni purpurei frustum quæreret, repente Cæsar arreptum e capite biretum, vt vocant, in frusta discindit: adeo ille purpuram non fastidiebat solùm, sed etiam vehementer auersabatur. Denique compertum est apud omnes, eum semel, iterum, ac tertiò cum Clemente Pontifice egisse, atque orasse, vt quam olim ab ipso initio Cardinalatus abdicationem

medi-

meditatus fuerat, benigne tandem admitteret, seque tanto onere liberaret. at Pontifex audire illum noluit, ne scilicet hæreticis daretur occasio oblatrandi, Cardinalatus dignitatem cum sanctitate morum stare non posse. igitur dies noctesque miseram sortem suam deplorabat, & paucis ante mensibus, quàm ex hac vita discederet, cum Iacobum Abbatem Crescentium, virum sibi & amore, & virtute coniunctissimum familiariter alloqueretur; rogabat, qua demum ratione voti sui compos fieri posset, vt ne ea dignitate implicitus vitam finiret, cui statim Iacobus belle, & festiue respondit, *Enitendum est tibi, vt Pontifex fias*; at ille grauiter suspirans ait, *Ego verò non istuc quæro, sed ad pristinum statum redire cupio: quandoquidem ex ea die, qua e sinu Congregationis meæ abstractus sum, ne horula quidem spatio quiescere licuit: nunc denique illud vnum me consolatur, quòd propediem ad Vallicellam rediturus sim, & in ea ipsa cellula, in qua diu vixi, vitæ finem impositurus*. Alia multa habemus, quæ illius animum ab ea dignitate retinenda alienissimum ostendunt, sed ne modum in scribendo excedamus hæc in præsentia retulisse sufficiat.

A Pontificatu appetendo quàm fuerit alienus. Cap. VIII.

QVamquam autem ex ijs, quæ hactenus diximus, facile vnusquisque intelligere potest, quàm longe Cæsaris animus ab appetendo Pontificatu abesset, tum quia ab honoribus, ac dignitatibus semper abhorruit, tum etiam quia ex ea die, qua ad Cardinalatum promotus est, Deo superisque omnibus voto promisit, nihil vnquam sese admissu-

rum,

rum, quod aditum sibi ad Pontificatum quoquo pacto aperire posset; tamen quoniam res maximum momentum habere videtur ad eius virtutem demonstrandam, idcirco ad ea, quæ diximus, aliqua speciatim adiungere decreuimus, vt ne minima quidem suspicionis vmbra de hac re cuiusquam in animo relinquatur. Igitur illud in primis Cæsaris mentem egregiam, excelsam, & omnia humana despicientem maxime declarat, quòd nulla habita ratione rerum suarum, solo veritatis studio, & zelo tuendæ Ecclesiasticæ libertatis adductus, de Sicula Monarchia tractationem instituit, & illam quidem numeris omnibus absolutam, quam etiam iudiciali schemate (prout res postulabat) prosecutus est: adeo ille Regum, & Principum gratiam non affectabat. porrò vbi primum ad scribendum animum appulit, & calamum sumpsit, statim ei in mentem venit, atque optime intellexit, quale quantumque odium ex ea scriptione esset reportaturus, nec idcirco tamen destitit ab incœpto, sed omni humana ratione submota ob eam maxime causam libenti animo ad scribendum accessit, quòd eo pacto aditum sibi ad supremam dignitatem interclusum iri intelligeret: quemadmodum ipsemet cuidam ex nostris, data occasione, libere professus est, atque Antonio Talpæ per litteras aperte significauit; ad quem post editam hanc tractationem hæc scribit. *Quod attinet ad meam de Monarchia Siciliæ scriptionem, scito olim a Pio V. Pontifice Cardinalem Alexandrinum ea de causa in Hispaniam Legatum, dein Gregorium XIII. per Nuncium Facchinettum (fuit is postea Innocentius IX.) idipsum pertractasse, nec tamen effici quicquam potuit; siquidem Rex verba dare, & rem in longum ducere consueuit; quæ quidem omnia diligenter scriptis mandata penes me sunt; itaque præter ea, quæ ego nuper scripsi, multa ante*

scripta

meditatus fuerat, benigne tandem admitteret, seque tanto onere liberaret. at Pontifex audire illum noluit, ne scilicet hæreticis daretur occasio oblatrandi, Cardinalatus dignitatem cum sanctitate morum stare non posse. igitur dies noctesque miseram sortem suam deplorabat, & paucis ante mensibus, quàm ex hac vita discederet, cum Iacobum Abbatem Crescentium, virum sibi & amore, & virtute coniunctissimum familiariter alloqueretur; rogabat, qua demum ratione voti sui compos fieri posset, vt ne ea dignitate implicitus vitam finiret, cui statim Iacobus belle, & festiue respondit, *Enitendum est tibi, vt Pontifex fias*; at ille grauiter suspirans ait, *Ego verò non istuc quæro, sed ad pristinum statum redire cupio: quandoquidem ex ea die, qua e sinu Congregationis meæ abstractus sum, ne horula quidem spatio quiescere licuit: nunc denique illud vnum me consolatur, quòd propediem ad Vallicellam rediturus sum, & in ea ipsa cellula, in qua diu vixi, vitæ finem impositurus.* Alia multa habemus, quæ illius animum ab ea dignitate retinenda alienissimum ostendunt, sed ne modum in scribendo excedamus hæc in præsentia retulisse sufficiat.

A Pontificatu appetendo quàm fuerit alienus. Cap. VIII.

QVamquam autem ex ijs, quæ hactenus diximus, facile vnusquisque intelligere potest, quàm longe Cæsaris animus ab appetendo Pontificatu abesset, tum quia ab honoribus, ac dignitatibus semper abhorruit, tum etiam quia ex ea die, qua ad Cardinalatum promotus est, Deo superisque omnibus voto promisit, nihil vnquam sese admissu-

rum,

rum, quod aditum sibi ad Pontificatum quoquo pacto aperire posset; tamen quoniam res maximum momentum habere videtur ad eius virtutem demonstrandam, idcirco ad ea, quæ diximus, aliqua speciatim adiungere decreuimus, vt ne minima quidem suspicionis vmbra de hac re cuiusquam in animo relinquatur. Igitur illud in primis Cæsaris mentem egregiam, excelsam, & omnia humana despicientem maxime declarat, quòd nulla habita ratione rerum suarum, solo veritatis studio, & zelo tuendæ Ecclesiasticæ libertatis adductus, de Sicula Monarchia tractationem instituit, & illam quidem numeris omnibus absolutam, quam etiam iudiciali schemate (prout res postulabat) prosecutus est: adeo ille Regum, & Principum gratiam non affectabat. porrò vbi primum ad scribendum animum appulit, & calamum sumpsit, statim ei in mentem venit, atque optime intellexit, quale quantumque odium ex ea scriptione esset reportaturus, nec idcirco tamen destitit ab incœpto, sed omni humana ratione submota ob eam maxime causam libenti animo ad scribendum accessit, quòd eo pacto aditum sibi ad supremam dignitatem interclusum iri intelligeret: quemadmodum ipsemet cuidam ex nostris, data occasione, libere professus est, atque Antonio Talpæ per litteras aperte significauit; ad quem post editam hanc tractationem hæc scribit. *Quod attinet ad meam de Monarchia Siciliæ scriptionem, scito olim a Pio V. Pontifice Cardinalem Alexandrinum ea de causa in Hispaniam Legatum, dein Gregorium XIII. per Nuncium Facchinettum (fuit is postea Innocentius IX.) idipsum pertractasse, nec tamen effici quicquam potuit; siquidem Rex verba dare, & rem in longum ducere consueuit; quæ quidem omnia diligenter scriptis mandata penes me sunt; itaque præter ea, quæ ego nuper scripsi, multa ante*

scripta

ſcripta fuerant, & in Hiſpaniam tranſmiſſa, ſed nullo fructu; nunc verò quoniam de hac re ſcribere neceſſe habui, operæpretium facturum me credidi, ſi ad eam pertractandam omne ſtudium, artemque conferrem, & aculeatum quoddam dicendi genus adhiberem, quod nimirum S. R. E. Cardinalem deceat, cuius ea ſunt partes, vtne timide, & (vt dicitur) intra dentes loquatur; quamquam iudicium tuum & voluntatem ſecutus, quædam immutaui, vt Regiæ Maieſtati debitus honor ac reuerentia vſquequaque ſeruetur. ſcito itidem, Pontificem ipſum accurate ſcriptionem hanc perlegiſſe, & nonnihil mitigatam typis mandandam exiſtimaſſe, quod idem Cardinales aliquot cenſuerunt. ego verò id libentiſſime facio, eo maximè nomine, quòd hanc rem haud mediocrem vtilitatem mihi allaturam eſſe confidam, nimirum ad humilitatem ſeruandam; quandoquidem Hiſpanis ea præbetur occaſio, vt in ſolemnibus comitijs, (ſiquidem eò peruentum fuerit) aduerſos, atque infenſos mihi ſeſe oſtendant, quæ res non parum momenti habet apud me: ſed hæc tecum habe: porrò iſtiuſmodi ſcriptionem idcirco ad te miſi, vt ex te intelligerem, quam in partem in Regno Neapolitano accipienda videretur, non vt ab ea promulganda abſtinerem, quandoquidem volente ac iubente Pontifice id fit. Hæc ille. At quoniam de hac ſcriptione incidit mentio, alienum non erit aliqua hoc loco referre, quæ ea potiſſimum occaſione Cæſari acciderunt. primùm enim Cardinalis quidam inprimis nobilis ac potens, quòd partem oppoſitam plus æquo tueretur, ſcripto eiuſmodi offenſus, librum ex aduerſo ſcripſit, atque vulgauit: quem tamen ipſe haud facti pœnitens, ſed in ſententia fortiter perſeuerans, luculenta apologia ſtatim confutauit, quam quidem cum in Tuſculanum ſeceſſiſſet, libris omnibus deſtitutus deproperauit. Deinde Clemente Pontifice defuncto, cum Cardinales omnes quadam die (vt mos

eſt)

est) in vnum conueniſſent, lecta eſt epiſtola, quam a Prorege Siciliæ ad ſacrum Purpuratorum Collegium tranſmiſſam dicebant, reuera tamen fictam, & commentitiam eſſe deprehenſum fuit; vbi multæ aduerſus Baronium querelæ, quòd ſcilicet contra Hiſpaniæ Regem vehementius quàm par erat inueheretur: quòd minus dignos viro Eccleſiaſtico ſeueritatis aculeos in optimos Principes emitteret: quòd demum quæcumque aduerſus Siculam Monarchiam afferebat monumenta, non aliunde, quàm ex Gallorum manibus accepiſſet. Hìc verò Cæſar (quòd iſtiuſmodi calumniæ non in ſe ſolum, ſed etiam in totum Ordinem, atque adeo in ipſum Pontificem referri videbantur, ſurgit, atque ex tempore præclaram apologiam orditur ab illis verbis pſalmi: *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt:* affirmat, ſeſe, niſi ſemel, atque iterum iubente Petro (hoc enim nomine Pontificem intelligebat) ad ſcribendum non acceſſiſſe; quæcumque afferebat, ea omnia ex Vaticana Bibliotheca deſumpta eſſe, neque vllo pacto ex Gallia tranſmitti potuiſſe, quippe quæ iſtiuſmodi monumenta non haberet; ad hæc, omnia Petri arbitrio, & cenſuræ fuiſſe ſubiecta, nec niſi ab eodem Petro lecta, atque relecta, mox etiam a tribus Cardinalibus ad id delectis diligenter diſcuſſa in publicum prodijſſe; denique ſe non tam in Regem, quàm pro Rege locutum eſſe, nec alium in ſcribendo ſtilum adhibuiſſe, quàm quem res poſtulabat. Multa porro in hanc ſententiam cum dixiſſet, perorationis loco illud adiecit, *Dies mali ſunt, dies mali ſunt, dies mali ſunt*. qua re plurimi Patrum animo commoti Cæſaris conſtantiam iuxta atque eloquentiam admirabantur vehementer, & falsò ab æmulis inſimulari virum optimum, atque Eccleſiaſticæ immunitatis

propugnatorem acerrimum conclamabant: itaque statim diligenter inquiritur, verane an fictitia esset istiusmodi epistola, & quis eam detulisset: quoniam autem res vacillare, & claudicare satis aperte videbatur, futiles & commentitiæ querelæ facili negotio reiectæ sunt. Nunc verò videamus, quemadmodum ille se gesserit in publicis Ecclesiæ comitijs, vbi quò periculo propior, hòc ad fugiendum cautior, atque expeditior visus est: vixdum enim Clemens Pontifex e vita migrauerat, cum per Vrbem totam fama percrebuit, Baronium certissime Pontificem renunciandum. nec verò leuis duntaxat populi sermone res nitebatur, sed magno tum Cardinalium, tum etiam Christianorum Principum consensu: quod cum videret Petrus Aldobrandinus, quem penes arbitrium eligendi Pontificis potissimùm videbatur, Cæsari libere dixit, statuisse se, e suis, vt vocant, creaturis aliquam ad Summum Pontificatum extollere; quamobrem *Vnanimes omnes* (inquit) *in eo consilio perstemus*; quòd si id minus ex sententia succederet, Alexandrum Medicem Cardinalem optimum ad eam dignitatem euehere sese in animo habere; hæc vbi audiuit ille (quippe in hac re silentium valde suspectum habebat, ea enim ratione viam sibi ad Pontificatum aperire videbatur) statim Paulum Teggium virum sibi in primis carum accersit, & ad Cardinalem Sfortiam mittit, quicum libere omnia communicet, moneatque, vt in sententia permaneat, siquidem haud dubie futurum, vt Cardinalis Medices (quò ipsemet Sfortia remis, velisque contendebat) ad Pontificatus apicem eueheretur; quemadmodum postea successit, Cæsare ipso fortiter adnitente: cum enim iam comitia agerentur, atque Aldobrandinus ad eam electionem lento gradu procedere videretur, multis illum rationi-

bus

bus extimulauit, & quæ paulo ante de tanto viro ſecum ediſſeruerat in memoriam redvxit; denique nihil obſtare, quò minus Cardinalem digniſſimum, atque in rebus agendis prudentiſſimum ad Apoſtolicam ſedem efferret. quibus permotus Aldobrandinus eadem ipſa hora animum in ea ſententia obfirmauit, atque ita Alexander Pontifex renunciatus eſt, & Leo XI. nuncupatus. Porro in ipſis comitijs ita ſe geſſit, vt a priuatis congreſſibus longiſſime ſe abſtineret, & qui vltro ſuffragium & patrocinium ſuum offerrent, eos auerſaretur, atque repelleret; quin etiam vt eorundem animos ab eiuſmodi conſilio auerteret, de viuaci maiorum ſuorum ſenectute ſermonem inferre conſueuerat: minari præterea grauiter, teſtarique ſingulis, ſi ſe eligerent, fore vt deinde facti eos pœniteret, cum nimiam imperij ſui ſeueritatem experirentur. quamobrem Franciſcus Cardinalis de Yoyeuſa ad Henricum IV. Galliæ Regem ſcribens, deque comitijs, quibus denique electus eſt Pontifex Paulus huius nominis Quintus, ſigillatim pertractans, aperte teſtatur, ſeſe nunquam auſum eſſe cum Cardinali Baronio agere de Pontificatu, ad quem plurimorum votis iam deſtinabatur, veritum eius offenſionem; tantum aberat, vt ille eam dignitatem affectaret. Ad hæc cum videret multorum ſtudia, & ſuffragia in ſe conuerti, adeo vt quadam die duo & triginta Cardinales ad eum eligendum conſenſerint, contrariæ factionis anteſignanos ſtatim adiuit, eiſque ſecretò ſignificauit, nihil ſe carius, nihilque antiquius habere, quàm vt in ea re aduerſarios pateretur; quamobrem conſtanter agerent, & pro certo crederent, quicumque ipſius electioni obſiſterent, ijs ſe tanquam pro ſingulari beneficio gratias immortales habiturum: interim Deum enixe rogabat, vt imminentem tempeſtatem a ſe depelle-

pelleret, dumque oraret, tantam a Deo ſupremi luminis claritatem accepit, vt non modò Pontificatum, ſed etiam omnia mundi regna, atque imperia vno obolo minus arbitraretur: alium etiam quendam eiuſdem factionis, qui ſe illi infenſum & inimicum palam oſtentabat, exemplo Dauid lapidantem Semei fortiter ſuſtinentis, benigne excuſabat, & ad Deum omnia referebat: præterea ſocios, & amicos omnes rogare, obſecrare, ne tam benigne in ſe ſuffragia quotidie conferrent. Denique vel illud indicio eſſe poteſt, quantum a Pontificatu appetendo alienum ſeſe præſtiterit, quòd ingreſſurus Conclaue ad ſacra comitia celebranda, delegit, ſecumque duxit homines rudes, & ad eiuſmodi negotia pertractanda prorſus inertes. Vnum exciderat, quòd pridie quàm Conclaue ingrederetur, Cardinalis quidam magnæ nobilitatis, atque auctoritatis ad eum miſit, qui ſuo nomine certum illi Pontificatum denuntiaret; cui Cæſar, *Ego verò (inquit) vehementer admiror, hæc tibi illum ad me perferenda dediſſe: ego enim Pontificatum nolo, quippe qui nullus homo ſum, rerumque ignarus, & domui meæ præeſſe neſcio; itaque hæc ad eum referes; de hac re ne laboret quicquam; ſin autem, illi grauiter ſuccenſebo: aliorum animos (ſi me amat) a me potius auertat, & vt ne Pontifex fiam, totis viribus obnitatur. hoc ſi faxit, polliceor, illum toto pectore me amplexurum; ac pro eius ſalute æternùm Deo vota facturum.* At ille, proximam Crucifixi imaginem oculis ac manu deſignans, ait: *Quid ſi hoc voluerit Deus, atque Eccleſiam ſuam tibi iam deſponderit, ac deſtinauerit?* cui Cæſar, *Egò verò eo caſu*, inquit, *ad ipſum me conuerterem, & libere dicerem; mi Domine Eccleſiam tuam, obſecro, tu ipſe regito, & ſeruulo tuo tantum onus ne imponito:* adiecit præterea, non continuò ſi hæc ſciret, manus ſe daturum fuiſſe, ſed omni ope

ac

ac diligentia elaboraturum, vt eam dignitatem declinaret. Igitur solutis comitijs, vbi se periculo ereptum sensit ac liberum, gaudio triumphans in cubiculum statim se recepit, & ad cœlum oculos, manusque tendens, *Gratias tibi* (inquit) *maximas ago, Virgo Beatissima, quæ mihi dignitatem hanc dari noluisti, ne reciperem mercedem meam in vita mea.* cumque deinde Cardinalis quidam superuenisset, diceretque, ferendum esse patienter, quòd Cardinales aliquot promouere eum ad Pontificatum noluissent: *Hæc* (ait digito atque oculis Deiparæ imaginem indicans) *hæc mihi verum summumque Pontificatum demum largitura est.* Itaque e Vaticano domum reuertitur, tanta cum lætitia, atque animi exultatione, vt se vix capere posset; quamobrem ad Antonium Talpam hæc scribit: *Legi litteras tuas, quibus felices mihi festos hosce dies comprecaris, quos ego vicissim tibi, cæterisque felicissimos exopto, & charitatis, atque concordiæ plenissimos. Plurimas autem gratias omnibus debeo, quòd me apud Deum precibus iuuerint his turbulentis temporibus, quibus præsentissimum diuinæ gratiæ auxilium expertus sum, id contemnens, fugiens, atque abhorrens, quod Mundus summam æstimat felicitatem. Deo honor & gloria, neque enim meis viribus, sed vnius Dei munere hoc factum esse intelligo: si narrare vellem singula, multæ paginæ implendæ essent; sed tempus non suppetit, &, vt verum fatear, religio est mihi ea scribere; valde enim periculosa res est de se ipso loqui, quamuis omnia Deo accepta referantur: siquando vnquam coram inter nos loqui contigerit, fallendi temporis gratia, hæc tibi fortasse narrabo; nunc verò nihil aliud scripserim, quàm vt pro me Deo gratias agas immortales. Quod spectat ad nouum Sanctum Pastorem, de hoc libere gloriabor in Domino bonorum omnium auctore, quòd cum ante comitia de me prouehendo feruenter ageretur, ego quasi per cuniculos agere cœpi*

pro Cardinali Florentiæ, vt a me omnium animos auerterem, ea via negotium dirigens, per quam deinde ad finem peruentum est; placuitque Domino, vt ego ipse qui cœperam, ipse perficerem, atque Aldobrandinum hærentem adhuc valde, ac titubantem confirmarem; qui Deo ita volente, eadem ipsa hora decreuit, & sic tota res finem habuit. hæc nunc breuiter ad te scribere volui. Deo gratias agamus, siquidem meo, & aliorum iudicio ex toto nostro Collegio vnus hic omnium optimus est habitus, cui multæ insunt partes, quæ haud ita facile in alijs reperiebantur. Gloria, & honor Deo, qui vos semper in omnibus protegat, atque adiuuet. At verò ex tot periculis, velut ex alto nuper emersus, cum ijsdem fluctibus iterum luctari cogitur: nondum enim elapso mense, Leo Pontifex vità fungitur, quamobrem de nouis comitijs cogitandum fuit, atque haud dissimili ratione certandum. Verùm antequam Conclaue ingrederetur, quemadmodum ipsemet postea, data occasione, candide narrauit Francisco Zazzaræ nostræ Congregationis homini, quem ob singularem virtutem moresque suauissimos præcipue diligebat, & quocum familiariter & libere multa communicabat, cum ardentissimis Deum precibus oraret, vt eum e tanto periculo iterum saluum ac liberum esse vellet, diuino quodam lumine illustratus, & sub diuersis rerum imaginibus non semel admonitus est, vt in proposito firmiter permaneret, & maximam omnium dignitatem maxime fugeret; quippe quæ saluti suæ minus consentanea esse videretur. modò igitur per angustissimum pontem ipse sibi transire visus est, sub quo præceps valde & lubricus locus despiciebatur: modò ad altissimi montis verticem inuitus trahi, & mox indidem præceps dari. hæc atque alia eiusmodi veluti præsagia sese dormienti per noctem offerebant, quæ timorem haud medio-

mediocrem possent incutere. nocte quadam deduci sibi videbatur per amœnissimum collem mira florum varietate vernantem, cui latissimum pratum vndique subiacebat: cumque loci amœnitate magnopere oblectaretur, ecce tibi repente rapidus fluuius egreditur, atque in pratum irrumpens primùm quidem collis radices alluere, deinde confluentibus in eum magno impetu torrentibus intumescere, & ad summum collis fastigium sese extollere, ita vt iam iam pedes ipsius propemodum tangeret: quamobrem incredibili timore perculsus, ne scilicet violento aquarum impetu statim abriperetur, omnia oculis lustrabat, siquid forte inueniret, ad quod adhæresceret, & cum nihil omnino reperiret, conturbari cœpit, & contremiscere, atque inter hæc somnus abrumpitur. Igitur ex huiusmodi visis apertè intellexit, Pontificatus dignitatem, tanquam rem curæ, ac periculi plenam, sibi longissime fugiendam esse: in qua quidem contemnenda nihil magnum se præstare dicebat, neque enim pluris eiusmodi honorem se facere affirmabat, quàm pomum aliquod vile, ac putre: Hinc porro factum est, vt cum iam de noui Pontificis electione ageretur, & a Principibus, iisdemque amicissimis viris etiam atque etiam rogaretur, vt ex iis, quæ scripserat de Sicula Monarchia nonnihil immutaret, quòd nimirum ea ratione quæcumque illi ad Pontificatum obtinendum obstabant, tolli omnino videbantur; nunquam adduci potuit, vt eorum precibus, rationibusq; acquiesceret; sed constanter negauit, se quicquam vnquam admissurum, quod viam sibi ad Pontificatum sternere posset. Cum autem in Conclaue iam ventum esset, multorumque suffragio Pontificem se designari videret, imminentis periculi timore perterritus, fuga præsidium quærendum existimauit: quam

cum ab amicis omnibus vetitam ſibi, atque interclusam vidit, rogare Deum, atque obſecrare diu noctuque, vt ab humeris ſuis grauiſſimum hoc pondus benignus auorteret, & in alium corporis, atque animi viribus præſtantiorem opportune transferret. Interea verò Petrus Aldobrandinus, alijque plurimi Cardinalium de certi cuiuſdam electione deliberant, rem procul dubio ad exitum mox perducturi, ni Cæſar obſiſtat, qui cum hominis ingenium iamdiu perſpectum haberet, & Apoſtolicæ Cathedræ minus aptum exiſtimaret certis de cauſis, non illis quidem grauiſſimis, quæ tamen viro ſeuero ſanctiſſimoque haud leues videbantur, quamquam omnes iam ad illum adorandum concurrerent, oppoſuit ſeſe vnum ex aduerſo; accerſitus enim ab Aldobrandino, & ad nouum Pontificem adorandum ſæpius inuitatus, accedere noluit; denique iterum euocatus, cum in ſummo iam diſcrimine res eſſet, poſitis genibus orauit, & S. Gregorio Thaumaturgo negotium calidiſſimis precibus commendauit, atque *O Sancte* (inquit) *Gregori, o patrator miraculorum, nunc virtutem tuam oſtendito, mihique tantum roboris, atque constantiæ infundito, vt contradicere, ac reſiſtere fortiter poſſim, electionemque huiuſmodi omnino infringere.* his dictis cubiculo egreditur, & cum in Cardinales aliquot incidiſſet, rogareturque ab ijs, cur adeo tardus atque inuitus accederet; *Idcirco* (inquit) *omnium vltimus accedo, vt ſcribantur hæc in generatione altera, atque in Annalibus narrare poſſim.* Quibus auditis Cardinalis Montaltus ad cæteros Cardinales ſe conuertens exclamat, aitque: *Quin virum hunc ſanctum nunc pro Pontifice adoramus vnanimes: Agite, quæſo, hunc omnes eligamus.* his dictis interceptæ, atque inuerſæ ſunt Cardinalium mentes, multique eorum, qui modò pro Pontifice alterum

rum

rum illum expetebant, statim ad Baronium se conuertunt; qua re diuisis Cardinalium studijs electio illa penitus euanuit. in quo quidem mirari licet Cæsaris virtutem, atque constantiam singularem, quippe qui nulla habita ratione rerum suarum, vna dumtaxat Ecclesiæ vtilitate sibi proposita, nec apud futurum Pontificem, nec apud cæteros Cardinales, qui ei fauebant, offendere quicquam pensi habebat: Itaque post multam disceptationem, vbi tandem ex inexspectato repente Pontifex renunciatus est Cardinalis Burghesius, cui Paulo Quinto nomen est inditum, tantam cœpit animo lætitiam, quantam ipsemet in fine duodecimi Annalium tomi posteris omnibus testatam reliquit, ait enim; *Absolutus est præsens tomus, cum post mensem Pontifex Romanus creatus est Paulus, cui ipse dicandus pro tanto munere Deo immortali perennes gratiarum contineat actiones, quæ & accessionem accipiant tanquam ex inundante torrente maiorem, quòd in his a Deo ingentia valde sim beneficia consecutus, ereptus e summis periculis imminentibus; nam e profundo maris abysso horribili tempestate iactati, cum iam incidissemus in dithalassum, ipsa adhuc naufraga spe, Dei ope ad optatum littus vna cum Paulo in salutem Vrbis & Orbis euecto, salui tandem emersimus; quamobrem partus hic ipse noster præsens Annalium tomus, qui ob multiplices parientis ærumnas penè interitu pereuntis, Benoni, filius doloris mei fuerat nuncupandus, subita rerum mutatione in contrarium facta, mutato quoque nomine, sicut & rebus, erit Beniamin, dextera filius, nominandus, Paulo nostro iam in dextera collocato*. Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? mirabiles vidimus elationes maris, mirabilis & apparuit in altis Dominus: *qualis tunc rerum facies? quàm tetra, horrida, & formidabilis? cum & præter tumentes fluctus illos, adhuc ex improuiso*

uiso tam vehementi est concussa Ecclesia terræmotu, atque terrifico simul tonitru excusso fulmine perturbatæ, & intercepta, atque inuersæ sunt mentes hominum, ac pariter actiones? qui tunc æstus mei, cum adeo violentis, licet amicis flatibus abreptus ferrer in syrtes, e quibus haud facilis esset emergendi facultas? Laboraui clamans, raucæ *reipsa* factæ sunt fauces meæ, *exclamans ad Omnipotentem Dauidicum illud,* Mitte manum tuam de alto, libera me de aquis multis. *quærebam anxius, si quo modo, vt Ionas, dedens me fluctibus honesta iactura mei solius possem cæteris periclitantibus esse salus; sed iudicio sapientum fratrum, qui aderant, damnosum existimatum est huiusmodi consilium, eo quod non ego, sicut ille, fugerem a facie Domini, sed potius pro Domino starem, atque persisterem pro domo Israel, vtcumque debiles vires ferrent, murus oppositus: firmiter iisdem asseuerantibus, loco non cedendum. sed firmissime ad finem vsque perstandum infractum, immobilem, atque constantem; sic igitur fratrum sententia interclusus, cunctisque euadendi remediis destitutus, tædio vitæ grauatus supra modum, vltra vires, in illa ærumnosa cum Ieremia erupi sæpe lamenta:* Væ mihi, mater mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? *Cum verò his tenerer vallatus angustiis, & a Deo tantùm, qui est solus Omnipotens, præstolarer auxilium; ecce statim ex insperato, catastrophe facta est rerum repentina, sicut & admiranda mutatio; Excitatus namque tanquam dormiens Dominus clamore suorum, qui laborantes erant in remigando, festinus exurgens* imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, *atque dicto citius miro consensu omnium ecce prouehitur Paulus tanquam e maris ereptus tempestate saluus in Cathedram Petri, cui vnà cum vniuersa Ecclesia Catholica, feliciter acclamamus* Paulo Papæ V. a Deo electo salus, & vita. Hæc ille, qua par erat modestia, de se loquens,

quens, atque incredibilem animi lætitiam præsefe-rens; vbi se e tantis periculis diuinitus ereptum vide-bat. Hinc est, quòd solutis comitijs domum reuersus, cum domesticos omnes, atque amicorum plurimos conquerentes audiret, quòd præter communem om-nium expectationem ad supremam dignitatem non esset elatus, mirari se dicebat, & quidem vehemen-ter, amicos ea de re dolere atque tristari, in qua & sibi maxime gratulari, & Deo immortales gratias age-re deberent. Porro ad eos, qui religionem illi pro-pterea inijcerent, sese identidem excusans affirmabat, numquam sibi religioni fuisse, quò minus omnem la-pidem moueret, vt viam sibi ad Pontificatum inter-cluderet; siquidem exploratissimum habebat, si secus Deus voluisset, nequicquam sese omnia tentaturum: id quod Heliæ exemplo confirmare solebat, hic enim quæ diuinitus inflammanda erat victima, eam semel, iterum, ac tertiò aqua perfundi iussit: *Cecidit tamen ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæ ductu lam-bens*; itaque *Spiritus* (inquiebat) *vbi vult spirat, & cor Regis in manu Domini*; hoc se recenti experimento di-dicisse, quos enim in superioribus comitijs fautores habuerat, eosdem paucis interiectis diebus aduersa-rios habuisse, contra verò quos aduersarios an-tea, hos ipsos postea mutata voluntate propitios. Plu-ra de hac re dicenda suppetunt, sed ne longius eua-gemur, hæc nobis dixisse sufficiat, ex quibus opti-mus quisque rerum æstimator facile intelliget, quan-tum Cæsaris animus ab honoribus, & dignitatibus semper abhorruit.

Ad Vallicellam redit, in morbum incidit, moritur. Cap. IX.

IGitur tot, tantisque perfunctus periculis, ætate ac laboribus prope confectus, & vicinam mortem præsentiens ad Vallicellam, suamque Congregationem redire decreuit, vt nimirum, vnde primitias spiritus hauserat, ibi spiritum Deo redderet: quoniam verò abdicato Cardinalatu pristinum vitę institutum, (quod semper optauit) resumere non licuit, ad nostras ædes saltem, quàm proxime, vt accederet, curauit; daturum enim se operam, aiebat, vt sibi per Pontificem liceret non modò solemnioribus festis, quod iam facere consueuerat, sed alijs etiam diebus sermones ad populum habere, in quibus S. Gregorij Papæ dialogos narrandos suscipere cogitabat; ad hæc velle se quotidie in Oratorio aliorum sermones audire, &, quantum posset, ad antiquas exercitationes redire: itaque Patres contiguas nostræ Ecclesiæ ædes ei libentissime tradiderunt, quas tamen in ampliorem, & meliorem formam redigi oportuit, vt domesticorum commoditati consuleretur: igitur senex optimus quotidie opus vrgebat, nihil illi longius fiebat, quàm vt ad Vallicellam sese reciperet: aiebat enim, *Emori volo in manibus Patrum fratrumque meorum.* interea dum parabantur ædes, quadam die apud nos prandere voluit, quod aliàs non raro consueuerat: accidit autem, vt ex sacris biblijs legeretur Iob caput XXIX. vbi vir sanctissimus postquam innumera beneficia recensuit, quæ in se Deus ab ipsa adolescentia contulerat, hæc subijcit: *Dicebamque, in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies;* quibus auditis

mirum eſt, quantam Cæſar animi lætitiam percepe-rit, atque vbiprimum lectio finem habuit, ita exorſus eſt. *Equidem (patres mei dilectiſſimi) iure, ac meritò, quæ lecta ſunt, mihi vendicare poſſe videor, dum priſtinos annos meos recogito, & dies illos longe feliciſſimos*, Quibus Deus cuſtodiebat me, *nimirum intra domeſticos hos parietes degentem*; Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, *B. Patre Philippo illam præferente*, Et ad lumen eius ambulabam in tenebris, ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ: quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo, quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo *vos fratres mei*; Quando lauabam pedes meos butyro: *præ abundantia videlicet cœleſtium conſolationum, quibus in ſpiritualibus ſtudijs, atque exercitationibus vobiſcum pariter affluebam*: Et petra fundebat mihi riuos olei: *illa ſcilicet petra, ex qua exciſi ſumus, Beatus (inquam) Pater, cuius & ex ore ſuàuiſſimo præclara ſalutis documenta, & ex ſacro pectore amoris pleniſſimo fluenta charitatis hauriebamus. Tunc enimuero, ego quoque* dicebam. In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies: *ſed ab eo violenter extractus, & quaſi columba ex arca emiſſus, ac turbulentis ſæculi fluctibus expoſitus, cum non inuenerim, vbi requieſcat pes meus, in arcam ad vos reuerti ſemper optaui, atque extremo hoc vitæ tempore, vtcummaxime, exopto: nimirum, vt in hac mea Congregatione tanquam in nidulo meo moriar. Quapropter oro, obteſtorque vos, Patres cariſſimi, vt me tot procellis ac tempeſtatibus diu iactatum, ſed Deo gubernante ex naufragio ereptum, &, fracta licet rate, denique ad portum appulſum, eo amore ſuſcipiatis, quo licet immeritum, atque indignum ad hanc vſque diem proſecuti eſtis*. qua re commotis Patrum animis incredibile eſt, quàm dulces amoris affectus erga ſe excitauerit, adeò vt verba etiam ipſa ferè omnes memo-

ria

ria alte retinuerint. igitur cumprimum paratæ ſunt ædes, continuò in eas ſumma cum animi alacritate immigrauit, atque ad antiquam cellulam ſuam ijſdem ædibus incluſam, quam ampliſſimis Regum palatijs longe multumque præferebat. hìc verò quotidie vnum ex noſtris tam presbyteris, quàm laicis ex ordine ad prandium ad ſe vocabat, vt nimirum amantiſſimus Pater fratrum ac filiorum ſuorum conſortio aſſidue frueretur. at Deus illi longè præſtantiores ædes, longèque chariores contubernales parauerat, quando eum ex laborioſa atque ærumnoſa hac vita ad ſempiternam ac beatam illam requiem transferre decreuerat; itaque grauem ei morbum immiſit, qui ad æternam ſalutem felicem exitum aperiret. Iamdiu erat, quòd ille grauiſſimum ciborum omnium faſtidium patiebatur, nunc autem eò deuenerat, vt nihil niſi liquatum acciperet, idque ſtomacho renuente, ac repellente; qua re corporis vires quotidie magis magiſque extenuari, & ſenſim deficere. ſed cum langueret corpore, animo tamen vigebat, & quò carne infirmior, hoc ſpiritu promptior apparebat; etenim ſepoſitis omnibus tum negotiorum curis, tum etiam ſtudiorum, in rerum diuinarum meditatione totus erat; relictiſque temporalibus, æterna cogitabat: quamobrem futurarum rerum admiratione ſuſpenſus extra ſe rapi videbatur, atque identidem exclamabat, *O æternitatem, ò æternitatem!* Interea fama de eius ægritudine periculoſa non modò Vrbem repleuerat, ſed ad exteras etiam nationes peruenerat, & quidem tanto cum omnium dolore, vt litteræ, quę hoc tempore vndique mittebantur, non tam atramento exaratæ, quàm fluentibus lacrimis conſcriptæ eſſe viderentur. Ingraueſcente autem in dies morbo, medicorum conſilium fuit, vt in Tuſculanum ſe reciperet,

peret, cœlo liberiore & salubriore fruiturus; hoc audito Cæsar Augustinum Mannum nostræ Congregationis hominem, Philippi in spiritu filium, dignumque Magistro discipulum, quo ipse per id tempus ad sacras confessiones vtebatur, accersiri iubet, eique Medicorum sententiam refert, atque: *Equidem satis scio, hanc cœli mutationem nihil mihi profuturam, quippe iam proximam mortem pulsare fores sentiò; tamen quia ita medici iubent, parendum est. vnum rogo, vt te mihi comitem adiungere velis, & si forte mors aduenerit, abeunti auxilium feras.* annuit libenter Augustinus eius voluntati, atque in Tusculanum proficiscentem, vna cum Pompeio Paterio, alijsque familiaribus prosequitur. hìc verò Cæsar de animæ potius, quàm de corporis salute sollicitus, frequentes de rebus diuinis miscere sermones, peccatorum veniam suspirijs ingentibus exposcere, mortis occursum fortiter præstolari; certus nimirum, quòd *velox esset depositio tabernaculi sui, secundùm quod Dominus noster significauerat ei.* id quod quemadmodum acciderit, ipsemet duobus ex nostris, videlicet Angelo Salutio viro plane integerrimo, eidemque Augustino Manno, quos vnice diligebat, data occasione, narrauit: huic enim sciscitanti, quidnam esset, quòd in sacris biblijs, & in alijs etiam libris, ac paginis, grandioribus characteribus depinxisset numerum hunc LXIX. *Cum essem* (inquit) *olim in Congregatione, & in eo ipso cubiculo; in quod nuper Dei beneficio remigraui, in lectulo grauiter adeo decumberem, vt breui me moriturum putarem, nocte quadam in somnis videre mihi visus sum in aduerso pariete istiusmodi numerum nigris characteribus delineatum; quamobrem somno experrectus, & rei nouitate commotus mecum ipse cogitare cœpi, quidnam hæc visio portenderet, neque aliud vnquam animo occurrit, quàm vt existimarem, annos vitæ meæ hoc nume-*

numero designari ; in qua quidem cogitatione cum aliquandiu perstitissem, denique ab ea animum auertere studui, atque iterum somnum cœpi: ecce autem rursus in eodem loco eundem numerum aspicio grandioribus characteribus, non illis quidem nigris, sed candidis, tanquam ex solido gypso efformatum. euigilans itaque & mecum reputans, quid hoc esset, quod iterum sese mihi offerebat, id vnum rediјt in mentem, vt crederem, hanc esse annorum meorum periodum: nec tamen huic viso certam fidem habere volui, veritus diaboli fraudes, non rarò hominibus per has species illudentis, quò scilicet illos nec opinantes imparatosque mors opprimat, dum longioris vitæ spatium sibi promittunt: quamquam igitur hæc res semper animo meo hæsit, nunquam tamen id mihi persuasit, vt ne cogitarem, me quotidie mori posse: nunc verò cum ad hanc ætatem peruenerim, & corporis vires omnino deficere sentiam, hunc planè supremum vitæ meæ terminum esse pro certo habeo. Hæc Cæsar: nec sanè falsò; cum enim paulo post ad grauissimam valetudinem febris accessisset, breui ad optatum vitæ finem peruenit. Interea verò cum in lectulo langueret, Deo, Beatæque Virgini Mariæ, Sanctisque Apostolis Petro, & Paulo salutem animæ suæ ardentissimis precibus commendabat: cumque admoneretur a medico, vt ab assidua illa mortis meditatione, crebrisque suspirijs temperaret, ne scilicet ea ratione illam accerseret, aut accelararet; *Quid ni ego* (inquit) *de morte cogitem? numne timere me putas illam, cum qua quotidie familiariter ago, & loquor? apagesis; haud equidem timere illam possum, quam vt sororem carissimam diligo.* cum itaque totus igne charitatis æstuaret, in varios prorumpebat Christianæ pietatis affectus, quorum aliquos ijsdem planè verbis, quibus ille vtebatur, expressos ab re fortasse non fuerit recensere; *Miserere* (aiebat) *Domine, miserere mei. Numquid ego timebo Dominum*

minum Deum meum? Numquid non diligis me Domine? Benedictus sis semper Domine Deus meus. Nullum est tempus, quo non liceat de Deo cogitare, eumque laudare. Beatus ille qui bene viuit, & seruit Deo. Diligite Iesum: Iesum omnes diligite. Gratias tibi ago Domine, quia ad B. Patrem me misisti. tibi gratias, tibi gratias. quæ quidem verba, frequentissime repetebat. *O quàm periculosa res est Cardinalatus? Seruite Deo, cui seruire magis præstat, quàm regem esse: Seruite Deo, alioqui nihil inuenietis in manibus vestris: O quàm bonum, & quàm iucundum est facere voluntatem Dei mei? ire cupio ad Iesum meum. O amor, ò amor, ò amor: Iesus amor meus. Beati qui perueniunt ad illam gloriam. Paradisus, Paradisus. Eia fratres, eamus in Paradisum.* Hæc atque alia eiusmodi identidem veluti iaculabatur, & quasi scintillas quasdam ex incendio pectoris emittebat. Cum autem extremum vitæ suæ diem iam appropinquare videret; *Eamus* (inquit) *& Romæ moriamur, neque enim decet Cardinalem mori in agro, eamus: quandoquidem nihil mihi optatius esse potest, quàm vt in Congregatione mea apud Patres meos diem atque oculos claudam.* Igitur in lectica delatus, quam ab amico mutuam accepit, ad Vrbem peruenit XIII. Kal. Iul. hora prima noctis, quanquam itineris molestia, tum propter summos calores, tum etiam propter lecticæ breuitatem, atque angustiam adeo grauiter affectus, vt plane semimortuus videretur: itaque e lectica in lectulum deportatur, atque a nostris, qui audito eius aduentu, statim ad illum conuolauerant, quibus potest charitatis officijs recreatur; interea dum tantisper quiesceret, Patres sanctissimum Christi Corpus in sacellum cubiculo proximum deferunt, vt si forte opus esset, statim communicaret; sub mediam autem noctem, cum euigilasset, admonitus est, adesse Christum Dominum,

minum, rogatusque, an illum libenter exciperet? continuò, *Vbi est, inquit, Vbi est? eia agite, afferte illum ad me.* Sacra deinde confessione amplius elutus, & maxima cum animi demissione coram omnibus, qui aderant, petita peccatorum suorum venia, antequam Eucharistiam sumeret, vt mos erat illi, hæc ait: *Abrenuntio Satanæ, & satellitibus eius, & adhæreo tibi Domine Iesu Christe.* mox cum adstante sibi Sacerdote Simeonis canticum alternis canere cœpit, quo finito paululum secum ipse tacitus orauit, atque iterum quieti se tradidit; at verò vbi primùm illuxit, continuò fenestras aperiri iussit, & quamquam viribus deficientibus consistere omnino non poterat, tamen e lectulo surgere, & in Sacellum se transferri voluit, atque interesse diuinis mysterijs, quæ ad vltimam vsque diem coram se vt peragerentur curauit. nec ita multo post Camillum Baldinum affinem suum accersiri iubet, & sic eum alloquitur: *Ecce ego (fili mi) ingredior viam vniuersæ carnis, itaque tibi relinquo, quod meus mihi pater reliquit, nempe ipsam paupertatem. audio te nimiam litterarum studijs operam dare, incumbe potius, fili, ad Christianas virtutes, & ad eam præsertim, quam vocant, mortificationis; noli altum sapere, sed esto humilibus consentiens; terrenam substantiam pondus existimato.* His dictis paternam illi benedictionem impertit, ac mœrentem cum lacrimis ab se dimittit. conuocatis deinde domesticis omnibus optima illis recte viuendi præcepta tradit; accedente autem ad illum Angelo Salutio, qui in eius curam summa charitate ac diligentia incumbebat, elata voce clamare cœpit: *Nihil est plane, nihil est, nihil, quod in hac vita maiorem mihi molestiam atque dolorem attulerit, quàm Cardinalatus. notum facite hoc omni populo: cauete dæmonis insidias, cauete: is enim dumtaxat verus honor est, seruire Deo cum omni humilitate;*

tate: pudet me Cardinalem fuisse; dignus quippe non fui, qui essem vel simplex sacerdos. ò me nequissimum! quarite Deum, quarite Deum. Postero die cum morbi vis nihil remitteret, sed magis magisque inualesceret, iterum Eucharistiæ Sacramento munitur. inter hæc quadragenarum horarum supplicatio in Ecclesia nostra a Patribus peragitur: quamobrem ingens populi concursus factus est, lugentibus omnibus imminentem tanti parentis iacturam, eiusque mortem tanquam commune quoddam exitium metuentibus; at ille (Deo ita volente ad exercendam, & coronandam serui sui patientiam) acrioribus quotidie doloribus cruciabatur, quippe stomachi orificium grauiter exulceratum (vt deinde post eius mortem a Medicis compertum est) acutissimos illi dolores infligebat, præsertim cum in eum cibus traijciendus erat; ad hæc stomachus ipse ex longa inedia valde attenuatus, ac prope consumptus, nihil fere alimenti retinebat; quamobrem quoties ei cibus sumendus erat, toties tormentum, ac prope mortem subire cogebatur, nec tamen vis vlla doloris vocem illi, aut nutum exprimere vnquam potuit, quo minus patientem sese ostenderet; siquando enim natura doloribus succumberet, nullæ aliæ querimoniæ ex illius ore audiebantur, nisi, *Fratres non possum amplius: audite, quaso, Cæsarem pauperculum: sustinete paululum pro vestra charitate.* atque his similia; quæ quidem astantium omnium; maxime autem domesticorum summam admirationem excitabant. Per idem tempus, cum iam se deficere videret, ad Angelum Victorium Medicum præstantissimum se conuertit, & *Nihil* (inquit) *iam facto opus est; siquidem paucis hisce diebus, qui supersunt vita mea, vt patiar, necesse est.* cumque ille statim subiecisset: *Ergo cibus tibi sumendus est, in quo scilicet deglutiendo tam grauiter cruciaris,*

ciaris, at tu id respuis, & me conaris decipere. Equidem (inquit) *nec quemquam vllo tempore decepi, neque nunc decipere animus est; sed, mihi crede, de mea salute iam actum est: quamobrem de corpore nihil vltra laborandum, ad animum cura omnis & sollicitudo transferenda est: mittite qui a Summo Pontifice salutarem benedictionem, & peccatorum indulgentiam decedenti obtineat; nec aliud mihi a Domino quàm felicem exitum rogate.* conuertens deinde oculos ad Franciscum Zazzaram, *Vellem* (inquit) *Francisce, hoc mihi in summo beneficio a Patribus impetrares, vt me in Ecclesia Sanctorum meorum Nerei & Achillei, tanquam pauperculum aliquem sepeliendum curarent:* ibi enim ille iampridem sibi iuxta tutelares Martyres sepulchrum parauerat. sed cum audiret, nunquam hoc a Patribus impetratum iri, quippe qui fratrem, atque adeo parentem suum dilectissimum a se longius abesse nulla ratione passuri essent, tandem acquieuit. Interea die noctuque continuas preces ad Deum fundebat, & *lacrimis suis stratum suum rigabat*, omniumque orationibus se commendabat, tanta cum animi demissione & humilitate, vt presbyteros prius a se non dimitteret, quàm super eum manus imponerent, ac benedicerent: Laicos etiam nostræ Congregationis aqua benedicta sese vt aspergerent omnino iuberet: hortanti autem ex ijs cuipiam, vt bono lætoque animo esset, nec quicquam timeret, sed laborum suorum præmia a Domino expectaret, *Ne tu* (inquit) *frater, parum sapis. equidem timeo, & contremisco, nec quisquam est hominum, cui timendum non sit maxime in hac hora.* quanquam autem timebat Cæsar, & tanquam humilis seruus suis meritis diffidebat; tamen diuina bonitate ac pietate confisus, veluti optimus filius ad patrem misericordiarum maxima cum fiducia recurrebat: atque intermortuis licet vocibus frequentissi-

me

me clamabat: *Vbi est? Vbi est?* rogatus autem, quid quæreret: *Iesum meum* (inquit) *Iesum meum quæro. vellem diligere Deum meum*, sublatisque in cœlum oculis, atque extensis brachijs, *Vbi est* (inquit) *sponsus meus? date mihi sponsum meum, Iesum meum.* mox accepta in manibus Crucifixi imagine, *Quàm bonus es* (ait) *ò mi Iesu. cupio dissolui, & esse tecum. ò si possem, quàm libenter venirem ad te. In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, atque id genus alia identidem repetebat. hæc inter Flaminius Riccius per eos dies Congregationi nostræ Præpositus Anxano Romam redit, atque vbi Baronium laborare in extremis comperit, statim ad illum aduolat, cuius aduentu aspectuque incredibile dictu est, quantam ille animo voluptatem perceperit; erat enim vir summa pietate, prudentia, cæterisque virtutibus ornatus, ijsque nominibus Cæsari apprime carus. quamobrem vt conceptam animo lætitiam, quibus poterat modis, exprimeret, acceptum extemplo tintinnabulum pulsare cœpit; breuique sermone sese eius precibus commendauit. biduo deinde antequam ex hac vita discederet, ex eiusdem Flaminij manibus Sanctissimum Eucharistiæ viaticum accepit, tanto cum spiritus ardore, vt nimia quadam lætitia gestiret, diceretque: *Dei sum, Dei sum, Dei sum.* &c. *Quid melius, quam esse cum Deo? non sum dignus, non sum dignus, qui sim cum Domino meo. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Denique morti proximus, sacro (quod optauerat) inungendus oleo infirmorum, cùm illi numerus annorum suorum, quem olim præuiderat, venisset in mentem; *Vere* (inquit) *iam sexagesimus nonus annus est; Domine miserere mei.* mox ad Patres, qui de more nostræ Congregationis aderant omnes, sese conuer-

tens; *Quid mihi* (ait) *gratius, quid acceptius esse potest, quàm vt hanc sanctam vnctionem suscipiam? Orate, obsecro; pro me omnes ad Dominum, hanc enim ob causam ad vos reuerti; vestris apud Deum precibus iuuate me*: O quam bonus Israel Deus? *quàm bonus Deus?* sacra deinde vnctione completa, *Aeternam* (inquit) *salutem mihi Patres fratresque omnes exposcite, præterea nihil*, cumque ante se hinc Christi Domini, illinc SS. Apostolorum Petri, & Pauli imagines collocari iussisset, in ijs oculos mentemque defigens inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Interea Patres (vt moris est nostri) alij post alios deinceps diu noctuque morienti adstabant, & sacra Dominicæ passionis mysteria, aliasque preces, quibus eo tempore fideles iuuari solent, legendo identidem insinuabant, donec tandem migrationis eius horam aduenisse perspectum est: totum verò reliqui omnes admoniti accurrunt, & numerosa corona cingentes lectulum, abeuntem parentem optimum lacrimis vberrimis prosequuntur. Flaminius idem, quo de supra meminimus, eius animam Deo Sanctisque omnibus solemni Ecclesiæ ritu commendare aggreditur. quod vt videt Cæsar (satis namque animo vigebat, quamuis corporis sensus prope amisisset) *Ergo* (inquit) *ecce nunc tempus exultationis & lætitiæ. Moriamur*. His dictis, extensis, iunctisque in vnum pedibus, manibus etiam supra pectus compositis in modum crucis, ad singulas preces, aut voce, aut nutu saltem respondere conabatur, oblatamque Deiparæ imaginem, ac thecam Sanctorum reliquijs plenam deuotissime osculabatur, denique intendens in cœlum oculos, vbi iam mentem defixam habebat, inter astantium preces & lacrimas placidissime quieuit, sabbato prid. Kal. Iul. quo die B. Paulo Apostolo anniuersaria commemoratione gratulamur:

vt

vt nimirum ſicut ſocius illius laborum & paſſionis fuerat, ſic eſſet & conſolationis. Defuncti corpus (quamquam ille ne id fieret, vel infimis precibus poſtulauerat) tum inſpiciendi, tum exenterandi cauſa, diſſectum eſt, mox ſacris veſtibus indutum in ſequentem diem domi ſeruatum. Porro vultus eius, quaſi adhuc viueret, ſerenus, lætuſque permanſit; manus, cæteræque corporis partes candidæ, molles, ac tractabiles perinde erant, quaſi pueri. Vulgata illius morte ingens populi concurſus factus eſt, omniumque ordinum homines ad eum viſendum confluebant: hi manus, illi pedes, hi veſtes etiam deoſculantes, & amoris lacrimas profundentes: die Dominica a prandio Patres ſolemni ritu corpus e cubiculo in Eccleſiam efferunt, Cardinales ad exequias celebrandas conueniunt, ſublatum Chriſtianæ reipublicæ grande præſidium vniuerſi lamentantur: multi deinde pietatis cauſa precarias coronas corpori admouere cœperunt, ſed id ne vlterius fieret, noſtrorum modeſtia vetitum eſt: quanquam effici omnino non potuit, quò minus aliqui veſtium, quibus vtebatur, fruſtula, aut etiam ex capillis, atque inteſtinis eius aliquid acciperent: quarto demum, poſtquam obierat, die corpus in arca plumbea, quam lignea circumdabat, incluſum in ſepulchro noſtro ad ſiniſtrum latus Aræ maximæ conditum eſt. Tertio Idus Iulias Congregatio noſtra debitas illi exequias, modeſto quidem funeris apparatu, ſed ingenti pietatis affectu perſoluit; quibus interfuere Octauius Parauicinus, Franciſcus Maria Tauruſius, & Hieronymus Pamphilius Cardinales, alijque Romanæ Curiæ Præſules, ac Religioſi viri frequentiſſimi: funebri autem oratione laudatus eſt a P. Michaele Angelo Buccio Romano ex noſtra Congregatione, viro iuxta pio atque erudito, ſed imma-

tura nobis morte prærepto; cuius laboribus, atque industriæ plurimùm debere me fateor, siquidem ille commentarijs suis ad scribendum in hac re mihi facem prætulit, & viam strauit. Neapoli etiam Congregatio Oratorij Cæsaris exequias celebrauit, eiusque laudes coram Philippo Cardinali Spinello, ac nobilissima ciuium corona eleganter prosecutus est Hieronymus Binagus eiusdem Congregationis presbyter. Ad hæc Societas Iesu in Romano Collegio eundem funebri laudatione, & carminibus cohonestauit. Denique Henricus IV. Galliarum Rex regias plane exequias Parisijs celebrandas curauit, quibus & ipse interfuit, & suum erga Baronium amorem atque obseruantiam præclara significatione testatus est. Biennio post cum Franciscus Maria Cardinalis Taurusius, cuius de vita & moribus fortasse aliquando alij scripturi sunt, extremum apud nos diem clausisset, & iuxta Cæsarem fratrem suum longe dilectissimum sepultus esset, ibidem Patres erecto monumento elogium hoc marmori inscribendum curarunt, ad tantorum virorum memoriam in posteros transmittendam.

D.O.M.

D. O. M.
FRANCISCO MARIÆ TAVRVSIO POLITIANO
E T
CÆSARI BARONIO SORANO
EX CONGREGATIONE ORATORII
S. R. E. PRESBB. CARDINALIBVS
NE CORPORA DISIVNGERENTVR IN MORTE
Q V O R V M A N I M I
DIVINIS VIRTVTIBVS INSIGNES
IN VITA CONIVNCTISSIMI FVERANT
EADEM CONGREGATIO
VNVM VTRIQVE MONVMENTVM
P O S V I T.
TAVRVSIVS VIXIT ANNOS LXXXII.
MENSES IX. DIES XIV.
OBIIT III. IDVS IVNII MDCVIII.
BARONIVS VIXIT ANNOS LXIX.
M E N S E S VIII.
OBIIT PRIDIE KAL. IVLII
MDCVII.





DE

DE VITA CAESARIS CARDINALIS BARONII LIBER TERTIVS.



ACTENVS Cæſaris Cardinalis Baronij vitam moreſque deſcripſimus, nunc ex ijſdem quædam relegere, atque alia prætcrea ex ipſius factis, dictiſque colligere, & per locos exequi operæpretium duximus, quò magis eà pateant, in promptuque ſint omnibus; ac primùm de ipſius in Deum charitate dicere aggrediemur.

Charitas erga Deum. Cap. I.



VAMQVAM Cæſaris charitas erga Deum magna videri potuit, vel ipſo initio, quo ad ſtudium pietatis ſe contulit (cum primùm enim ad Sanctum Patrem Philippum venit, continuò rebus humanis nuntium remittere cogitauit) tamen exploratiſſimum eſt, cum annis pariter illam creuiſſe, & veluti ex paruo igne magnum deniquè incendium excitatum eſſe. Quamobrem a Domini ſui præſentia (quod eſt fortiter amantium) fere diuelli non poterat; ſiue enim comederet, ſiue biberet, ſiue aliquid aliud face-

faceret, de Deo rebusque diuinis semper cogitabat, adeo vt etiam inter studendum, scribendumque, quamquam attento animo id faciebat, identidem ex imo pectore suspiria duceret, & submissa voce propheticum illud pronunciaret; *O Israel, quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius!* alias etiam breues orationes & precatiunculas ad Deum per interualla iaculabatur huiusmodi, vt de multis nonnullas afferamus. *Confitebor tibi in directione cordis. Portio mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Ne proijcias me in tempore senectutis. Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi. Benedixisti in iuuentute, benedic amplius in senectute. Benedic nouissimis meis plus quàm principio. Portasti ab vtero, portasti in iuuentute, portasti in senectute, porta vsque ad finem.* Postremis autem suæ vitæ annis, cum iam Cardinalatus dignitate atque innumeris prope occupationibus premeretur, adeo de cœlestium contemplatione nihil remisit, vt cum rheda veheretur, adductis omni ex parte velis (sic fere per Vrbem incedere consueuerat adhibito nomenclatore si quem forte salutare oporteret) tota mente in Deum defixus sanctissimum Iesu nomen ingeminaret, atque illud sæpe repeteret; *O æternitas, ò æternitas!* Sacrum quotidie (quod supra diximus) pie, ac deuote faciebat, dolebatque vehementer, si quando grauiori morbo impeditus illud intermittere cogebatur. In diuinis laudibus, psalmisque recitandis haud raro in suspiria & lacrimas prorumpebat: maxime autem cum ventum erat ad illud psalmi; *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque*, in quo pronunciando commoueri penitus, & spiritu infremere videbatur. Cum solus orabat, ita abstrahebatur a sensibus, vt non semel e famulis quispiam cubiculum

biculum eius ingressus toto corpore humi prostratum inuenerit, immobilemque reliquerit. Diuini autem amoris igne succensus tanto cor eius æstuabat ardore, vt vel ad extremas corporis partes peruaderet; quamobrem in Sacro præsertim faciendo, atque Eucharistia administranda ex ore atque oculis flammas spirare videbatur, & si forte quempiam ad studium pietatis adhortans, manu prehenderet; propemodum aduretet. Rullensis eremus est prope Sadoriam in Euganeis montibus, & loci amoenitate, & Eremitarum Camaldulensium sanctitate inclyta; huc aliquando Cæsar Clementem Pontificem Ferrariam secutus religionis causa se contulit, & ad Ecclesiam deductus in Ara maxima Missæ sacrificium peregit: inter sacrificandum autem tanto spiritus feruore succensus est, vt ex oculis vultuque quasi scintillas emitteret, & cum raperetur in Deum, summis pedibus consistere, interdum etiam a terra sublimis in aëra leuari visus sit. expleto deinde sacrificio per eandem eremum cum Patribus illis inambulans, in iisdem pietatis affectibus perseuerabat, & de rebus diuinis agendo satis aperte ostendit, quanto flagraret ardore, quantoque solitudinis desiderio teneretur; vt nimirum vni Deo sibique vacare liceret. Quæ omnia Frater Elias Camaldulensis eremita ex Gallia Narbonensi insigni pietate vir, & vidisse, & audisse se scripto testatum reliquit. Hac porro occasione (vt id obiter dicamus) Patauium quoque diuertit, vna cum Cardinali Bellarmino ad Ioannem Vincentium Pinellum, communem amicum, hominem doctrina & humanitate celeberrimum, quemadmodum narrat Petrus Gassendius in vita Nicolai Fabricij de Peiresc, *Cum autem (inquit) ad illum venissent tacitis nominibus, habituque dissimulato, adeo vt se presbyteros simpliciter assenerarent: ipse ex eorum iconibus, quas animo*

præsentes habebat, qui viri essent, statim agnouit; sed fingens tamen se ignorare, in eam Musæi partem deduxit, in qua virorum illustrium, ac ipsorum specialiter imagines erant conspicuæ: ostensa autem Baronio Bellarmini effigie, num hæc imago (inquit ò bone, socium istum tuum repræsentat eximie? & ostensa Bellarmino, quæ Baronij aderat, num hæc quoque, inquit, socium istum tuum exquisite refert? Ac tum illi delusos se, cum deluderent, agnoscentes, in amplexus prolapsi sunt. Secessit aliquando in Tusculanum, valetudinis causa, cumque egrederetur ad meditandum in agro, in syluas, & nemora sese abdere solebat, vt Patrem suum oraret in abscondito. hìc autem admirabili quadam spiritus dulcedine delibutus in suspiria & gemitus resolui, hac illac discurrere, quercus, & fagos amplexari; denique prono vultu in terram sese prosternere, diuinumque auxilium cum lacrimis & clamore valido implorare: quos quidem diuini amoris impulsus, quanquam pro viribus coërcere, & reprimere studebat, ne iustitiam suam faceret coram hominibus; tamen ex improuiso erumpentes flammas vsquequaque occulere non poterat. Illud autem ardentem Cæsaris charitatem erga Deum præcipue ostendit, quod ad illius gloriam ad extremum vsque spiritum egregie laborauit. Si quisquam enim nostræ Congregationis bonus operarius dicendus est, is profectò dicendus est Cæsar; qui primo mane couductus in vineam, portauit pondus diei & æstus, & procul dubio plus omnibus laborauit: quamobrem vt suorum aliquos ad virtutem excitaret, non semel libere dixit, se per quinque & triginta annos nunquam satis somni cœpisse: siquidem in verbo Dei prædicando, in confessionibus audiendis, in Eucharistia administranda, cæterisque functionibus Ecclesiasticis exercendis, in pauperibus subleuandis totus

fuit.

fuit, ſed ea nunc repetere non eſt animus, quæ ſuo loco ante narrauimus; vnam dumtaxat Annalium ſcriptionem hìc recolendam exiſtimamus, in qua nimirum Baronio ad vltimam vſque diem totis viribus deſudatum eſt. Porro tantorum laborum, tantarumque vigiliarum opus, quod ille nullius auxilio ſubleuatus, ſed ſua vnius vſus induſtria compoſuit, quis non videt, non aliunde, quàm ex feruenti eius charitate profluxiſſe? vt ea ratione ſacrilegas Centuriatorum Magdeburgenſium fabulas, atque horrenda mendacia confoderet, & Dei, ſponſæque eius Eccleſiæ gloriam longe lateque propagaret? Nec verò Cæſar vigilias dumtaxat, ac labores pro Deo libenter ſuſcepit, ſed vitæ ipſius periculum adire non dubitauit: vbi enim Dei cauſa agebatur, nullius rei rationem habebat, neminem verebatur, non Principes, non Reges ipſos. Cum ageret inter noſtros, & quadam die ſacras confeſſiones audiret in Eccleſia, videretque quendam in aula Romana gratioſiſſimum in Virgines quaſdam oculos impudicè defigere, iterum ac ſæpius admonitum, demum animosè increpuit, atque correxit. Qua re ſtatim commotus homo ſuperbus ac procax exclamare, & minari grauiter, ſi de templo exiret, eum ſe male accepturum; cui Cæſar fortiter conſtanterque reſpondit, Chriſtum pro ſe foras prodíturum, & ſuam ipſius cauſam defenſurum, nec dicto fides abfuit; ſiquidem Deus ſacerdotalem conſtantiam diuinitus comprobauit: vix dum enim ille templo pedem extulerat, cum repente ab equo in quem conſcenderat excuſſus, alteram tibiam fregit, quamobrem incredibili dolore correptus, afflictus, exanimis domum defertur. hìc verò vbi nunc ſe proſtratum videt, qui modò alios proſternere ſe poſſe gloriabatur, ad mentem redit, factique pœnitens ſtatim ad ſe Cæ-

ſarem

ſarem accerſit, delicti veniam petit, eidemque præterea totius anteactæ vitæ peccata multis cum lacrimis confitetur; quem ipſum deinde in ſpiritu patrem habere voluit, & caſtigato vetere luxu, Chriſtianæ diſciplinæ induta ſeueritate, in frequenti Sacramentorum vſu, in Dei verbo audiendo, alijſque bonis operibus ad vltimum vſque diem conſtanter perſeuerauit. Ex hac denique vehementi charitate fiebat, vt diſſolui cuperet, & eſſe cum Chriſto. Quamobrem nihil vnquam habuit antiquius, quàm vt de tabernaculi ſui depoſitione aut ediſſereret, aut cogitaret: & quod alij fere exhorreſcunt, hoc ille maxime delectabatur. Itaque & in ſigillo, quo litteras ante Cardinalatum obſignabat, non aliam, quàm mortis effigiem incidi iuſſit, & vbi cum viris religioſis priuatim agebat, abſolutis negotijs, hæc ſtatim ſubijciebat; *Nunc verò, quæſo, de morte ſermonem inſtituamus*. vt propterea Auguſtinus Cardinalis Valerius Veronenſis Epiſcopus, vir doctrina & pietate ſpectabilis, non immeritò dixerit, nuſquam alibi Baronium, niſi in contemplandis feretris, ſepulchriſque oblectari; hinc etiam quotidie antequam lectulo ſe componeret animam Deo commendare conſueuit ijs precibus quibus Eccleſia moribundos rite commendat. ſcilicet excelſus animus, & charitatis igne ſuccenſus de cuſtodia hac quam primum educi, & cum Deo ſuo eſſe geſtiebat.



Cha-

Charitas erga Proximos. Cap. II.

QVoniam verò (vt ait Ioannes Apostolus) *Hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, ad hunc tam incensum in Deum amorem Cæsar & proximi amorem adiunxit, cuius salutem & vehementer optabat, & curabat diligenter. Quamobrem aliorum necessitates quodammodo in se transferebat, nec minus alienis, quàm proprijs malis sollicitabatur: vt plane non immeritò exclamare posset cum Apostolo; *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* In publicis Ecclesiæ calamitatibus asperrimum cilicium induebat, & ad Deiparam confugiens affectu & fiducia plane filiali dicere solebat, *Ego verò (Sanctissima Mater) cilicium hoc numquam exuam, nisi prius afflictis Ecclesiæ rebus opem feras*. Annus erat MDXCVII. quo Clemens VIII. Pontifex Maximus ad recuperandam Ferrariensem ditionem iustissimum bellum parare cogebatur: qua re commotus Cæsar, incredibile dictu est, quantam animo tristitiam quantumque dolorem perceperit: extant eius litteræ hoc tempore datæ ad Antonium Talpam, in quibus hæc scribit: *Deus tibi notas faciat curas, quæ me sollicitum atque anxium tenent, ob nouam hanc rerum Ferrariensium turbam: alterum enim ex his consilium dare cogor, aut bona & iura Ecclesiæ dimittenda, vt bellum vitetur, aut certe bellandum, vt eadem recuperentur, quæ quidem aliter obtineri non possint. Inter hæc duo extrema nihil reperitur medium. O Pater, ò pater, vt quid ego ad hanc dignitatem euectus sum cum tanto periculo infelicis animæ meæ? quæ verò intus in mente agito, litteris committere non ausim; sed si secretò*

tecum agere liceret, næ illa magnam apud te commiseratio-nem excitarent: etenim omnium fere Cardinalium senten-tia decretum est bellum. Itaque toto pectore laborandum, & a Deo precibus contendendum, vt imminentia mala pro-hibeat: satis enim exploratum est, quantum malorum im-portet bellum: Deum rogo, rogaboque semper, vt iram suam in me conuertat, dum bene consultum sit paci Ecclesiæ: De his hactenus. Oremus, oremus, oremus. Hanc ipsam curam, & sollicitudinem demonstrauit, dum de re-conciliandis inter se Mantuæ, & Parmæ Ducibus age-batur, quorum animos exasperatos assiduis apud Deum precibus deliniuit, & ad pacem concordiam-que reuocauit: quæ res quemadmodum gesta fuerit, Io: Iuuenalis Ancina testatum reliquit in quadam epistola, vbi post multa. *Libet* (inquit) *his adiungere aliud quiddam fortasse longe omnium præclarissimum, æter-naque memoria dignissimum, nimirum Cardinalem Baro-nium (quemadmodum ipsemet ore suo mihi narrauit (cali-dissimis precibus obsecrasse gloriosos martyres Nereum & Achilleum ipsa die, qua eorum corpora ex Diaconia Sancti Adriani ad antiquam Ecclesiam suam translata sunt, vt adesse dignarentur Cardinali Auenionensi in re difficillima, quam tractabat, de conciliandis inter se Mantuæ & Par-mæ Principibus, id quod humanis rationibus obtineri om-nino non posse, Purpuratorum prope omnium iudicio cense-batur. ecce autem ipsa die, qua ijsdem Martyribus solemni officio gratulamur* IV. *Id. Maias, pacem ex improuiso fa-ctam esse apparuit: venit enim Mantuam, qui erat Par-mensi Duci a secretis, atque initæ concordiæ leges attulit eius-dem Principis manu subscriptas, signoque munitas, vt vi-dere est ex ijs litteris, quas Cardinalis Auenionensis Man-tua Romam ad Cæsarem scribit eadem die, aitque, sese di-luculo eorundem Martyrum singulare patrocinium præsidium-que implorasse: nec ita multo post nuncius affertur, eosdem*

Principes in ea re omnia Cardinalis Auenionensis arbitrio, sapientiæ, fidei, potestatique permittere. Quamquam autem ille de omnium salute sollicitus esset, tamen de Clemente VIII. Pontifice multo sollicitiorem sese ostendit, cuius curæ atque saluti inuigilabat plurimùm, quasi rationem apud Deum pro anima illius redditurus. Itaque & viuentem (quod antea diximus) quà consilio, quà monitis salutaribus iuuit; & denique morientem ad vltimum vsque spiritum nunquam deseruit; sed grauiter laboranti quinque & sex horas continuas assidebat, eiusque animam Deo superisque omnibus dies noctesque precibus & lacrimis commendabat. Hoc ipsum pietatis & charitatis officium in amicos & socios exercebat; quibus vbi corpore, & manu præstò esse non poterat, animo & precibus semper aderat: Orabat nocte quadam ad Dominum de Cardinalis Antoniani morbo grauissimo valde sollicitus, quem, & doctrina & morum probitate sibi coniunctissimum fratris loco diligebat; cumque deinde somno se dedisset, ecce tibi per quietem illum videt pulcherrima facie, & sacerdotali candida veste indutum vnà cum ministris, quasi rem diuinam solemni more facturum. Itaque primo mane somno excitus ad Cardinalis ædes statim mittit, qui de eius statu inquirat, atque explorata renunciet; compertumque est, eodem puncto temporis illum vita excessisse, quo per somnum visus fuerat. Hunc ipsum Cardinalem non multo post iterum se vidisse, data occasione, testatus est cuidam ex nostris, & quidem eodem ornatu, aspectuque, sed rubris vestibus indutum: voluit nimirum Deus hac ratione (vt conijcere est) Cæsaris charitatem remunerari, & de fratris salute sollicitum eiusmodi viso intime consolari: atque in hisce rebus tam præclara aliquando acciderunt, vt sa-

tis

tis aperte declarent, quàm accepta Deo essent optimi viri studia, atque facta. Margarita erat quædam in familia Matronæ nobilissimæ pijssimæque Iuliæ Vrsinæ Rangonæ, nato vlcere & carcinomate ad mammam sinistram grauissime affecta: ad hanc cum venisset Iosephus Zerla nobilis Chirurgus, atque vlcus diligenter inspexisset, illius curandæ onus suscipere recusauit, quòd non modò periculosum, sed omnino insanabilem morbum esse intelligeret. Adest interea Cæsar, & miseratione commotus super ægram manus imponit, aitque: *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria*; quibus dictis abscedit: nec dum limen excesserat, cum illa statim exilit, & gaudio triumphans, *En*, ait Dominæ cæterisque qui aderant, *salua & incolumis ego sum*: inspectoque vlceris loco sanus atque integer repertus est. Tum verò Iulia, *Haud miror*, inquit, *factum; quandoquidem & maiora conspexi: cum enim acuta febri laboraret Fabius Latini Vrsini fratris mei filius, deque eius salute a Medicis omnibus iam conclamatum esset, rogauit me plurimum, vt ad se Baronium quamprimum adducerem, cuius virtuti & sanctitati maxime confideret; cumque ille rogatus multisque precibus fatigatus venire omnino recusaret, tandem B. P. Philippo iubente mecum venit, eumque intrò in cubiculum duxi, clausoque ostio foras exeo, & cum per rimulas introspicerem, vidi illum a terra sublimem sublatis intentisque in cælum oculis Deum orantem: aduenientibus interea Medicis, & Principibus aliquot viris Cæsar e cubiculo statim se proripit, & per occultas quasdam scalas elabitur. quid multa? Accedunt Medici, venarum pulsus explorant, discussa febri sanum ac liberum magna cum omnium admiratione repertunt, quem paulo ante semiuiuum, sine voce, sine spiritu reliquerant*. Hæc illa, vt præclarum eiusmodi factum comprobaret. Nec prætermittendum hoc loco, quod Isabellæ Merulæ Ca-

I 2 ran-

randinæ illuſtri fœminæ apud eandem Iuliam Vrſinam ægrotanti vſuuenit: Annus erat iam, cum illa graui morbo detinebatur, cumque paulatim deficientibus viribus intelligeret, inſtare ſibi ſupremum vitæ diem, nimiam quandam fiduciam de Dei miſericordia concepiſſe animo videbatur: quamobrem, qui erat ei a ſacris confeſſionibus, veritus dæmonis artes, quibus eo maxime tempore mortalium mentes oppugnare conſueuit, obiecto timore gehennæ immoderatiorem illam ſpem cohibere, & temperare ſtudebat. quare ægrota (vt erat animo parum firmo puſilloque) ex nimia illa ſpe in tantam repente deſperationem delapſa eſt, vt omnem ſibi viam ad ſalutem interclusam eſſe pro certo haberet, palamque prædicaret. Accurrit interea Cæſar, & quibus poteſt verbis eam conſolatur; cui illa: *Deſine plura, Pater, ego enim æternis ignibus addicta iam ſum*. At Cæſar, *Caue, filia, poſthac vnquam tale verbum ex te audiam: nequaquam infernis ignibus damnata es, immo verò neque per ignem purgatorium, Deo miſerante, tranſibis; ſiquidem iſtiuſmodi ægritudo tibi pro purgatoria pœna data eſt: quamobrem cum primum illuxerit dies ſabbati, ex hac vita migrabis in cœlum*. Nec dicto fides abfuit, ea enim qua ille prædixerat hora, maxima cum ſpiritus exultatione dulciſſimum Ieſu nomen ingeminans expirauit; nonnullique viri religioſi, ſanctitate inſignes, illius animam rectà in cœlum euolaſſe teſtati ſunt; in primiſque P. Angelus de Pas Ordinis Reformatorum S. Franciſci vir celebris ſanctimoniæ idipſum ſe vidiſſe affirmauit. Nec verò Cæſar vniuerſam tantummodò Eccleſiam, & Principes viros, ſuoſque in Chriſto filios, ſed ſingulos etiam homines, quicumque tandem ij eſſent, ampliſſimo illo charitatis ſuæ ſinu complectebatur. Quamobrem nemini prorſus aditus ad illum erat laborioſe quærendus,

dus, aut amicitiæ fores pulſandæ, ſed vnicuique facilem, ac promptum ſeſe exhibebat: neque verò (qui fere aulicorum mos eſt) diligebat *verbo atque lingua*, ſed (quod Chriſtianorum eſt) *opere & veritate*. Igitur ad ſe adeuntibus, aut aliquid rogantibus verba dare, & inani ſpe animos lactare, nefas putabat; ſatiuſque eſſe ducebat aperte negare quod non poſſis, quàm quod nolis falsò polliceri: domum eius publicum hoſpitium diceres, præſertim religioſorum hominum, quorum aliquot ſuæ menſæ quotidie adhibere ſolebat. Viros doctos, & Chriſtianis virtutibus inſignes varijs honoribus, atque Eccleſiaſticis dignitatibus exornandos curauit; & Clementi VIII. Pontifici auctor fuit, vt ex ijs nonnullos ad Cardinalatum extolleret, non ſine ingenti Chriſtianæ reipublicæ bono; inter quos maxime enituere Robertus Bellarminus, cuius admirabilem doctrinam cum morum ſanctitate coniunctam ignorat nemo, Hieronymus Pamphilius, & Alphonſus Vicecomes, ipſi quoque eo tempore præſtantiſſimi viri: quanquam autem pro ſe nihil omnino vnquam rogauit, pro alijs tamen multa & rogauit & impetrauit; cum enim Clemens hominis charitatem perſpectam haberet, facile illi tribuebat quæcumque poſtulabat. Hæc porrò charitas, & beneficentia ſingularis non ad noſtrates tantùm, ſed ad exteros etiam omnes ſeſe longe lateque extendebat; quamobrem ſi quis Epiſcopus, aut presbyter, aut etiam laicus ex Gallia, Germania, alijſque Prouincijs Tranſalpinis ad Vrbem veniret, ferme omnes ad eius ædes ſtatim conuolabant, quos ille & humaniter excipiebat, & menſa ſua communicabat, & denique omne genus officijs proſequebatur: Teſtis eſt Iuſtus Caluinus Veteracaſtrenſis, vir genere & doctrina clariſſimus, qui, vt ſupra innuimus, ex hæretica prauitate Annalium Eccleſiaſticorum le-

ctione ad Catholicam fidem excitatus Romam cum venisset, auctore Baronio large liberaliterque a Clemente Pontifice tractatus est, mox in Basilica Lateranensi ab eodem Pontifice solemni ritu sacro Chrismate confirmatus, eundem Baronium patrinum habuit, quem patrem fidei suæ paulò ante habuerat, cuius & in familiam cooptatus, ex Caluino deinde Baronius dici voluit, & tanquam filius charissimus innumeris prope beneficijs auctus, atque exornatus est. videre est eius epistolas, & Parentalia in obitu Cæsaris Cardinalis Baronij, vbi effusissimam tanti parentis charitatem, & beneficentiam ad coelum extollit. Hanc ipsam charitatem expertus est Gaspar Scioppius Francus, vir doctissimus eorundem Annalium beneficio ad veram salutis semitam reuocatus, quem ille velut filium de regione longinqua reuertentem affectu plane paterno complexus est: pro quibus omnibus quid reponeret, non inueniens, nisi quod, facto naufragio, præter suam ipsorum spem liberati, factitare consueuerunt: *Hanc* (inquit in libello edito de sua ad Orthodoxos migratione) *Cardinali Baronio ob deuitatum æternum animæ naufragium, velut votiuam in æde memoriæ & æternitatis tabellam suspensam, dedicatamque volo.* Sed antequam huic capiti finem imponamus, præclarum illius facinus pàr est recensere, quo profligatissimum ac perditissimum hominem ab errore & insania ad officium, sanitatemque reduxit: cum enim Bartholomæus quidam, cognomento Catena, de Monte S. Ioannis in Campania, insignis latro, in suos ciues, aliosque plurimos grassaretur, & iam finitima Soræ loca cædibus incendijsque oppleuisset, Cæsar & delictorum indignitate, & delinquentis ipsius miseratione commotus, primò quidem ieiunijs, eleemosynis, orationibus, peregrinationibus, sacrificijs tum per se, tum

tum per alios adhibitis hominem aggreditur; deinde paræneticam longiorem epiſtolam, quam a Taurusio ſcriptam eſſe ferunt, quippe qui in ea re plurimum valeret, ad Patrem quendam ex Cappuccinorum familia mittit, qui tunc temporis haud procul ab Sora eorundem Fratrum cœnobio præerat, & cum epiſtola pariter precarias coronas octo, Pontificijs indulgentijs inſignitas, rogatque plurimum, vt pro ſingulari ſua charitate Catenam quamprimum conueniat, eique ſacra illa munuſcula offerat, litteras aperiat, legat, hominem ad ſtudium Chriſtianæ pietatis hortetur, inprimiſque ad cultum Virginis Deiparæ, cuius patrocinio atque auxilio a Deo omnia ſperare liceret. ille, vt erat ad charitatis officia paratus ac promptus, ſtatim e cœnobio proficiſcitur, profugum, ſedibus incertis vagantem diligenter quærit, inuentumque demum dulciter affatur, ſacra munuſcula humaniter offert, & quibus poteſt verbis auget, atque ornat; litteras deinde explicat, legit; neque enim ille per ſe legere poterat, interque legendum mirum eſt, quantum ferox animus deſiderio pietatis exarſerit: ſiquidem (quod ipſemet poſtea retulit) in eam cogitationem & ſpem venit, fore aliquando, vt abiecto tam pernicioſo, tamque periculoſo vitæ genere aliò migraret, & Chriſti militiæ adſcriptus ad religioſa caſtra tranſiret. Et quidem ex eo tempore etſi illam ferociam omnino non exuit, tamen adeo ſibi temperauit, vt & ab iniurijs ac cædibus abſtinuerit, & præteritorum pœnitentia ductus miſeram ſuam ſortem ſæpius deplorauerit: ſenſit nimirum ille opportunum Dei Matris auxilium, cui & ipſemet dono acceptam coronam digitis pertractans, Angelicam ſalutationem ingeminando identidem ſupplicabat, & Cæſar ſtudio eius ſalutis incenſus quotidie vota faciebat: ſed quæ humana

fragilitas est, ad ingenium redijt, & cum forte per eos dies quendam sibi propinquitate coniunctum interfectum esse intellexisset, tam grauiter in iram, atque vltionem exarsit, vt non modò in hostem ipsum sæuire, sed etiam bona ipsius deuastare tentauerit, & quacumque posset ferociam suam exercere: sed iterum post menses aliquot Cæsaris monitis, atque orationibus incitatus ad frugem bonam se recepit, & quietæ vitæ desiderio tactus mutare cœlum, atque aliò se transferre decreuit. ecce autem lictores per agrum Romanum de more excurrentes hominem offendunt, & nullo negotio cognitum armis spoliant, vinciunt, ac de sui defensione nihil plane cogitantem, perinde ac si animum viresque amisisset, Romam in carcerem deducunt. id quod vbi Cæsar intellexit, continuò, facta sibi potestate, ad eum adijt, & quasi prodigum illum de regione longinqua reuertentem consueta pietate complexus, ac *misericordia motus cecidit super collum eius, & osculatus est eum*; mox vt hominem vidit conscientiæ stimulis, aculeisque compunctum, vt totius anteactæ vitæ noxas per sacram confessionem expiaret, facile persuasit: cumque iam biduum ipsum ad id peragendum animum præparasset, denique non sine ingenti dolore sensuque pietatis perfecit. videre erat hominem ex fero illo & immani, non Deum, non homines timente, in alium repente mutatum, factumque mitem, & mansuetum, vsqueadeò, vt assidua peccatorum suorum recordatione doleret iugiter, & ferme per singulas noctes lauaret lectum suum, lacrimisque stratum suum rigaret. Porro Cæsar vt euntem iam, & sponte currentem acrioribus stimulis ad pietatem incitaret, ante diem octauum, quàm supplicio afficeretur, pias quasdam meditationes exercitationesque illi proposuit, quibus ad sui ipsius contemptum,

temptum, Deique amorem penitus inflammaretur? Igitur pridie eius diei, quàm duceretur ad mortem, Cæſarem enixe rogauit, vt illos omnes quibus cum graues inimicitias exercuerat ſuo ipſius nomine per litteras pacem, & veniam infimis precibus oraret, atque a Prorege Neapolitano tot tantorumq; delictorum, quæ in ditione eius admiſerat, indulgentiam ſuppliciter expoſceret: optare ſe, ſi fieri poſſet, toties ſanguinem vitamque profundere, quoties humanum ſanguinem effudiſſet: denique morti addictus, atque in ſacellum deductus, totam fere noctem peruigil vna cum Cæſare ſibi adſtante præteritorum veniam demiſſe precari, diuinum auxilium implorare, ac Beatam præcipue Dei Matrem propitiare non deſtitit; ſummo mane Miſſæ ſacrificio interfuit, & ſanctiſſimum Chriſti corpus eximia quadam reuerentia ſumpſit: interea carnifex laqueum illi de more iniecturus cum acceſſiſſet, non modò non exhorruit, aut refugit, ſed vltro ſeſe obtulit, & collum præbuit; quin etiam cum iam proceſſurus eſſet, atque a carnifice ſpoliaretur candenti forcipe torquendus, admonitus, vt rem patienter ſuſtineret; ſublatis in cœlum oculis, elataque voce reſpondit: *Fiat voluntas Dei. equidem ſpero illum mihi benigne adfuturum, vt omnia patienter feram.* nec vana fuit ſpes eius: cum enim per Vrbem circumueheretur, atque identidem candenti ferro vellicaretur, nullum vnquam, ne minimum quidem doloris indicium dedit: itaque ad ſupplicij locum deductus, pauliſper orauit, peractaque breui peccatorum ſuorum confeſſione, circumſtantium precibus ſe commendans, delictorum pœnam morte perſoluit; & ſatis certam de ſua ſalute ſpem, atque opinionem reliquit. Multi præterea huius ipſius charitatis fructus dulciſſimos perceperunt;

ſed

ſed ne longius, quàm par eſt, progrediamur, eos conſultò omittendos exiſtimauimus.

Miſericordia in Pauperes. Cap. III.

EX hac porrò charitate, qua omnium animos ad pietatem inflammare cupiebat, incredibilis ille amor in pauperes redundabat, quo eorum inopiam ſubleuare ſtudebat: Omittimus nunc, quæ olim ab ipſo tum puero, tum etiam adulta iam ætate geſta ante narrauimus, multa enim adſcribi præterea poſſunt ad eius miſericordiam, & beneficentiam in pauperes demonſtrandam, quibus vbiubi haberet obuios, ſtatim ſine vllo diſcrimine eleemoſynas diſpergebat: ſiquidem in ea re erratum ipſum pietatem eſſe dicebat, ac longe melius exiſtimabat tribuere interdum etiam non indigenti, quàm aliquem præterire, qui verè auxilio indigeret. Quamquam autem initio, vt diximus, domeſticis facultatibus minime abundabat, tamen quæcumque poterat, omnia libenti animo largiebatur; quæ verò ipſe non poterat, hæc ab alijs emendicare pro Chriſto non erubeſcebat; & quò in alios liberalior, hòc in ſe ipſum parcior erat, ita vt præter ea, quæ ſunt ad vſum vitæ neceſſaria, nihil omnino retineret: quamobrem vna tantùm veſte contentus, cumprimùm nouam induerat, quam interdum ſæpe ab amicis loco eleemoſynæ accipiebat, continuò veterem pauperibus tradere conſueuit; atque illud ſæpe affirmabat, ſi ſuo arbitratu viueret, non modò pecuniam, libros, cæteramque omnem ſupellectilem iiſdem ſeſe daturum, ſed ex ore cibum ſibimet detracturum, vt miſeris atque egentibus impertiretur.

in quo

in quo quidem parum, aut nihil apud Deum mereri se dicebat, quòd ex ingenita quadam animi propensione, & materna institutione a teneris misericordiæ assuetus, longe admirabilem in ea re delectationem perciperet. Erat annus salutis nostræ MDXCI. Gregorio XIV. Pontifice, annonæ caritate memorandus, eratque in Vrbe præsertim tanta frugum inopia, vt pauperes fame confecti passim languerent, atque iacerent: qua re commotus Cæsar, tantæ calamitati omni ope subueniendum putauit. Itaque cum nihil iam sibi pecuniæ ob id reliquum esset, argenteam thecam affabre factam, atque ornatam, in qua Sanctorum reliquias asseruabat, quaque nihil pretiosius, nihilque carius apud se habebat, vendidit; deinde cum in tanta miserorum multitudine largiori pecunia opus esse intelligeret, haud leuem summam ab amicis mutuatus est; bonamque frumenti copiam coëmit, ac pistori tradidit, a quo subinde confectos panes accipiebat, eosque inclusos sacco huc illuc quotidie per Vrbem discurrens ad pauperes deferebat: si quæ autem Virgines (quod ipse nosset) frumenti, vestium, aut aliarum rerum inopia laborarent, ijs statim quibus poterat modis subueniendum curabat. Ægrotabat extra Vrbem in Ianiculo prope viam triumphalem Virgo quædam, quò morum honestate ditior, hòc rebus omnibus indigentior: id vbi Cæsar intelligit, veritus, nequid mali necessitatis causa meditaretur, statim ad eam mittit pias fœminas, quæ miseram in suas ipsarum ædes deducant, & modis omnibus recreare studeant. Hæ porro, quòd & ipsæ minus commode viuerent, & curta supellectili vterentur, lectulum, in quo ægrotantem Virginem collocarent, non habebant: quamobrem ille lectulo suo culcitram subtrahit, atque indigenti tradit; sui prope oblitus, dum commodi-

moditati prospicit alienæ. Audiuit aliquando honestæ cuiusdam puellæ rei familiaris angustia castitatem periclitari: qua re statim commotus, ad eam venit, & comperto ita plane rem se habere, quemadmodum acceperat, aureos nummos quinquaginta illi elargitus est, atque amicis quibusdam libere affirmauit, nisi ea ratione misellæ illius saluti consuluisset, timendum sibi fuisse, ne ea ipsa nocte tanti criminis reus ad infernum raperetur. Familia erat satis numerosa, in qua videlicet maritus, & vxor cum filijs octo, ex his mares duo, fœminæ sex, & prætereà neptes duæ; nec quidquam omnino habebant, quo egestatem suam tolerarent. Horum omnium ille patrocinium, curamque suscepit, & corrogatis vndique eleemosynis, per annos plurimos aluit, ac puellas præsertim ad Christianam disciplinam ita instituit, vt ob singularem modestiam, morumque puritatem S. Philippo apprime charæ extiterint, & ferme omnes in sacris cœnobijs Deo virginitatem consecrauerint: ijs autem vestiendis sua ipse indumenta, & sacerdotales etiam amictus lineos non semel exhibuit. Multas præterea pauperes Virgines, in timore Dei educauit, & conquisitis vndique dotibus sub claustris perpetuæ Religioni, & castitati sacrandas curauit: vt nullum ferme sit in Vrbe cœnobium, in quo earum aliqua hodie non supersit. Vbi verò inopes puellas nec suis ipse pecunijs, nec alienis iuuare poterat, non idcirco animum despondebat, sed diuina fretus bonitate fidem suam obligare non dubitabat. Virgo erat paupercula, cuius sacras confessiones Cæsar audiebat, ob eximiam corporis pulchritudinem a perditis quibusdam hominibus vehementer sollicitata: quamobrem nisi præsens remedium adhiberetur, & quamprimum nuberet, certissimum pudicitiæ periculum adire videbatur.

quid

quid faceret pius Pater, aut quò se verteret, nesciebat: indotatam nuptui daret? at nemo accepisset; dotaret? at de suo non suppetebat, de alieno non poterat: Denique, *vt erat cor eius fiduciam habens in Domino*, de ea in matrimonium collocanda agere cœpit, & cum probum quendam hominem reperisset, qui nuptias eiusmodi non recusabat, modò cum idonea dote Virginem duceret, quingentos aureos intra menses quinque se daturum promisit. quid multa? sponsione facta nuptiæ celebrantur, & cum iam præterijssent menses quatuor, vir ille Cæsarem de dote soluenda primùm quidem admonere, deinde rogare, denique vrgere & sollicitare cœpit: at Pater negotium extrahere, & bona spe eum sustentare, donec ad vltimum prope pactionis terminum peruentum est; tum verò (rem miram) ecce tibi nobilis quidam, nemine prorsus aut monente, aut rogante, ad Cæsarem venit, eique quingentos aureos sponte ac libere offert, suo ipsius arbitrio in eleemosynam elargiendos: quibus acceptis, & fidem suam liberauit, & Dei bonitati gratias egit, *qui non deseruit sperantes in se*. Hanc porro singularem in pauperes pietatem deinde ad Cardinalatum euectus adeo non imminuit, vt etiam miris modis amplificauerit: domus eius publicum externarum Nationum veluti diuersorium fuit: ad eum quotidie peregrini homines ex varijs Orbis partibus veniebant, quos ille non solùm benigne excipiebat, sed etiam sua ipsius mensa communicabat, atque omni humanitatis genere complectebatur. Externus quidam sacerdos pauperrimus ad Vrbem venit, & spirituali quadam necessitate compulsus ad Pontificem adijt (erat tunc Clemens VIII. & in Tusculanum secesserat) is auditum Presbyterum ad Cæsarem mittit, qui non modò illum humaniter excepit, sed & mensa sua dignatus est; quin

etiam

etiam veſperi pridie quam ex Vrbe diſcederet, ſuis ipſe manibus pedes eius lauit; quæ res, incredibile dictu eſt, quantam Baronio beneuolentiam, quantamque reuerentiam apud hoſpitem conciliauerit. Illud etiam extat in hoc genere longe præclarum charitatis & pietatis exemplum, quòd cum audiſſet, mulierem quandam, olim ſuam in ſpiritu filiam, occulto Dei iudicio a dæmone arreptam, & diu vexatam, denique ad vltimum vitæ diſcrimen adductam eſſe; aſſumpto comite ad eam conuolauit: erat tum forte intempeſta nox, & clauſum vndique cœlum, imbribus, tonitruis, fulguribuſque mortales perterrebat; nec tamen continere ſe potuit, quin ſtatim ad miſeram pedibus ſe conferret, eamque opportuno auxilio & conſolatione ſubleuaret: nimirum *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina illam obruere*. Auguſtinus Cardinalis Cuſanus vir raræ probitatis, & Baronio amicitia coniunctiſſimus, dono miſit ad illum domeſticam veſtem ex panno Segobienſi ſatis ornatam, & ad arcendum frigus aptiſſimam: hanc Cæſar iam Cardinalis libenter accepit, quòd eleemoſynæ loco ſibi traditam intelligeret, ſed cum longior, & ſpecioſior videretur, præcidi eam iuſſit, mox veritus fortaſſe paupertatis propoſitum offendere, cum viduam quandam pauperculam, & male veſtitam conſpexiſſet, ſtatim ad eam miſit, qui eandem veſtem deferret, ſeque ipſum expolians Chriſtum pauperem texit. Fului a quædam vidua habitabat in Quirinali, & cum plures filias iam adultas haberet, ob penuriam ſummam ſuſtentare non poterat: quamobrem ſeminudas in publicum educere erubeſcebat. æſtas erat, & Pontifex in Quirinalem ſe receperat, & cum Pontifice etiam Cæſar, cui forte fortuna ædes in ea parte Palatij ſunt aſſignatæ, quæ domum viduæ exaduerſo deſpiciebant:

igitur

igitur die quadam (Deo ita volente) e fenestra miseras puellas aspexit, deque earum paupertate, atque honestate morum certior factus, primùm quidem illas decenter vestiendas, deinde data etiam dote honeste in matrimonium collocandas curauit. Cæca mulier ad portam Templi Vaticani sedebat, & cum paruulo filio stipem ab accedentibus mendicabat; hanc cum videret Cæsar (quotidie enim, vt diximus, eam Ecclesiam visitare consueuerat) miseratione commotus, puerum illum alendum, vestiendumque suscepit; deinde litteris etiam erudiri iussit, denique eius curam vni ex suis familiaribus demandauit, qui ter in hebdomada illum inuisere, deque eius profectu referre solebat. Tempus me deficiet, si voluero singula, quæ ab eo perpetrata sunt, dicere: quotidie enim non vnum, aut alterum beneficijs demerebatur, (quod de ethnico illo Principe cum laude narratur) sed longe multos sibi amicos faciebat, qui *reciperent illum in æterna tabernacula*: neque ijs contentus, qui sese vltro offerebant, ipsemet pauperum necessitates diligenter inquirere, atque indagare consueuerat. quamobrem tum ex nostris aliquot, tum etiam ex alijs, maxime autem Bernardinum Castellanum suum tunc temporis Medicum sæpe interrogabat, num quos miseros, aut infirmos haberent, quibus opem ferre necesse esset, ipsisque ea de causa bonam pecuniæ summam distribuendam tradebat. Ad hæc ipsemet, quanquam in tali dignitate constitutus, ægrotos, quacumque illi essent conditione, non rarò inuisebat, vt eos non modò pecunia, sed & sui præsentia subleuaret. quòd si forte miserum quempiam viribus corporis destitutum per Vrbem offendisset, exiliebat e curru, in eumque imponi iacentem, & ad Nosocomium deportari iubebat. interim ipse, dum ad se currus rediret, in proximum

mum aliquod templum ſeſe recipiebat, & miſericordiæ orationem iungebat. Inter alias autem eleemoſynas, ſabbato cuiuſque hebdomadæ certam panis quantitatem viduis, atque virginibus diſtribuendam curabat: ad hæc ſingulis annis recurrente natali die S. Ioſephi multis pauperibus epulum exhibebat; cæteris autem omnibus, qui ad menſam recipi non poterant, panem, & legumina cocta, conditaque dari iubebat; quæ quidem pietatis opera ad vltimum vſque vitæ finem exercuit. Poſtquam verò Cœnobiarchia S. Gregorij ad Cliuum Scauri inſignitus eſt, ea die, qua eidem ſancto Pontifici annua exultatione gratulatur Eccleſia, conuiuium pauperibus parari iubebat in antiquo illo triclinio, in eademque menſa, in qua olim Gregorius ipſe ſæpiſſime pauperes, aliquando etiam Chriſtum Dominum ſpecie pauperis accepit; quem locum Cæſar (vt infra dicturi ſumus) ob præclaram Magni Pontificis memoriam inſtaurandum exornandumque curauit: reliquos verò omnes, quos menſa capere non poterat, pane, & leguminibus donari præcipiebat; quotidianas eius eleemoſynas referre nimis longum eſſet, nemo enim pauperum ad illum veniebat, qui pecuniarum aliquid non acciperet, quas quidem ipſemet e re nata ab Oeconomo ſuo deſumebat; nec earum rationem aliquam aut haberi, aut reddi volebat; vt nimirum euangelicum illud quodammodo impleret: *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua:* quanquam ab aliquibus affirmatum eſt, centum, coque amplius aureorum in ſingulos menſes priuatim, ac minutatim illum elargiri conſueuiſſe. At verò præclara iſthæc miſericordia in religioſorum virorum, ſacrarumque virginum cœtibus iuuandis, alendiſque præſertim enituit. quæcumque enim in Vrbe ſunt pauperiora cœnobia, ijs omnibus ille & pecuniam, &

victum

victum liberaliter subministrabat. In primis verò magnam curam adhibuit, vt pueri, quos a Litterato parente, viro singulari, Litteratos vocant, & commode alerentur, & partim litteris, partim etiam necessarijs ad vsum reipublicæ artibus imbuerentur: itaque cum primum creatus est Cardinalis, statim eorum patrocinium suscepit. Ad hæc, Puellas Sanctæ Euphemiæ, quas vulgò dispersas vocant, primus omnium in tutelam recepit, atque omni ope contendit, vt in vnum locum colligerentur, ibique victu cultuque necessario sustentarentur. Quamobrem cum earum numerus in dies singulos excresceret adeo, vt angusta domo contineri vix possent, nouas, atque ampliores ædes parandas curauit, mulamque suam eisdem dono dedit, quæ calcem, & cæmenta deferret, alijsque necessarijs operibus deseruiret. Denique Cæsaris pietas, & misericordia non ad viuentes modò, sed ad mortuos etiam sese extendebat, quorum corpora, vt ad Ecclesiam Christiano ritu deferrentur, sacrisque exequijs cohonestarentur, diligenter curabat.

Religio, & cultus in Sanctos. Cap. IV.

HVic porro tam incensæ in Deum, & proximos charitati adiunctam habuit religionem, atque obseruantiam singularem, qua Sanctos viros, Deique amicos mirifice coluit. In primis verò Deiparam ipsam summo studio, summoque honore prosecutus est, cuius patrocinio vitam, scientiam, & quæcumque demum haberet, accepta referebat. Testantur hoc Annales Ecclesiastici, quos vbique respersos videas eiusdem Virginis laudibus atque præconijs;

K hanc

hanc enim initio cuiusque tomi præfatur, hanc inceſſanter loquitur, atque concelebrat, huic demum in fine gratias agit. Ad hæc, eius imaginem, ſacrique veli particulam collo appenſas ad pectus diu, noctuque geſtabat, atque identidem in vehementes quoſdam affectus erumpens, veluti gemmam pretioſiſſimam, vtraque manu ſtringebat, deoſculabatur; & plane quaſi matrem ſuam dilectiſſimam, ita Dei Matrem dulciter alloquebatur. Denique vt obſequium ſuum erga Deiparam perpetuò aleret, ac foueret, quaſdam occultæ ſignificationis notas in tabulis, libris, alijſque eiuſmodi rebus, quæ ad manum eſſe ſolent, inſcribebat in hunc modum C✝M S M✝C cuius rei myſterium vt aperiret, rogatus, atque obſecratus, *Nihil aliud* (inquit) *arcanis hiſce notis ſignificatur, quàm Cæſar Seruus Mariæ.* Principes etiam Apoſtolorum maximo in honore ſemper habuit, quorum ſepulchrum quotidie inuiſebat, & toto corpore proſtratus pie, ac deuote oſculabatur. Sanctos præterea Gregorios, Magnum illum Pontificem, & Thaumaturgum præcipuo quodam cultu proſecutus eſt, eoſque ſibi propitios in ſummis difficultatibus ſenſit. Glorioſos quoque Martyres Nereum & Achilleum tanquam patronos eximie coluit, eorumque templum vetuſtate collapſum (quod infra dicturi ſumus) magnifice inſtaurauit. Sanctiſſimas denique Virgines Theclam, & Flauiam Domitillam deuotiſſime coluit: hanc, quòd vna cum ſanctis Martyribus Nereo & Achilleo eius Eunuchis quaſi patronam agnoſceret; illam, quòd veteri Eccleſiæ prece morituris adeſſe intelligeret; quamobrem recurrente eius natali, in cœna ſocios de ſuo paulò liberalius accipiebat, qui mos eſt noſtris, vel in aliquo ſolemniorum dierum, vel in die feſto eius ſancti, cuius quis nomine appellatur, vel quem maiori præ cæ-

teris

teris cultu veneratur. Ad hæc Dei seruos, & sanctitatis (vt ita dixerim) candidatos, quos nimirum omni virtutum laude spectabiles fidelium pietas veneratur, necdum tamen in album Sanctorum adscriptos renunciauit Ecclesia, religiosissime obseruabat, eorumque cultum quotidie magis magisque amplificandum curabat. Quamobrem cum de Carolo Cardinali Borromæo Archiepiscopo Mediolanensi inter Sanctos referendo ageretur, quem ille agentem etiam inter homines vnice dilexit, vt res quamprimum ad optatum finem perduceretur, omni studio ac labore contendit, atque a Pontifice (erat tum Leo XI.) responsum accepit, sese propediem, Deo dante, id perfecturum: quod quidem re ipsa effecisset, nisi immatura morte præoccupatus esset; sed quod Leo non potuit, hoc deinde Paulus, qui ei in Apostolica Sede successit, summa cum exultatione totius Ecclesiæ feliciter impleuit. Hunc porro virum sanctissimum, sibique olim amicitia coniunctissimum ob singularem virtutem, quam in Ecclesia Mediolanensi administranda demonstrauerat, alterum Ambrosium appellare consueuerat, vtque de eius vita & moribus publico omnium bono copiose scriberet, Io: Petro Iussano nobili Mediolanensi assiduus hortator atque auctor fuit. Præterea cum ad illius sepulchrum religionis causa ingens fieret hominum concursus, nec initio probaretur ijs, qui Ecclesiæ illi præerant, ne quid scilicet contra sacros canones admitteretur; re cognita Cæsar cum Clemente summo Pontifice accurate & prudenter egit, eiusque nomine ad Canonicos illius Ecclesiæ scripsit, ne vlterius eiusmodi populi pietati, ac deuotioni obsisterent; *Scitote enim* (inquit) *quia mirificauit Dominus sanctum suum.* Denique cum ad illum venisset Marcus Aurelius Grattarola Oblatorum Mediolanensis Ecclesiæ Præpositus,
 eique

eique Stolam sacerdotalem, qua olim idem sanctus Cardinalis frequentissime vtebatur, dono obtulisset, genibus statim submissis pronus & supplex sacras reliquias veneratus est, neque eas attingere ausus, in suam thecam recondi iussit. Hanc ipsam stolam Cæsaris beneficio hodieque nos possidemus, atque vna cum alijs eiusdem S. Caroli reliquijs veluti thesaurum pretiosissimum asseruamus. Nec verò minorem pietatem ostendit erga B. Ignatium Loiolam Societatis Iesu sanctissimum Fundatorem, quem non coluit ipse modò, verum etiam alijs omnibus colendum proposuit; siquidem cum de illius vitæ, morumque sanctitate satis iam superque constaret, nec tamen aliqui ex sacra Rituum Congregatione importuna quadam religione publicum illi honorem, aut cultum adhibendum putarent; Cæsar, vt erat in sacris ritibus instructissimus, & maxima apud cæteros, ad quos negotium spectabat, auctoritate, quadam die ad Ecclesiam eiusdem Societatis venit, ac zelo pietatis accensus Ignatij imaginem petijt, & conscensa scala suis ipse manibus sublimem in pariete locauit, vt publicæ omnium venerationi pateret. Beatum quoque Aloysium Gonzagam eiusdem Societatis, floremque fœcundissimi illius agri longe pulcherrimum, maxime reuerebatur, cuius res sanctissime gestas cum legisset, tanto erga eum incensus est deuotionis affectu, vt & illius reliquiarum aliquid flagitauerit, & delatas deinde ad se genibus flexis exceperit: quin etiam capiti suo, vt eum Christiana simplicitas, & pius animi sensus admonebat, religiose imposuerit: & ad illius sepulchrum sæpius adire, & prolixius orare consueuerit. Denique B. Philippum Parentem nostrum, quem viderat, quem audiuerat, cuius vitæ sanctitatem ipsemet manibus suis contrectauerat, adeo reueritus est, vt ad eius sepulchrum ve-

niens

niens (veniebat autem sæpiſſime) in terram ſeſe proſterneret, & toto procumbens corpore cum gemitu & lacrimis, quaſi prodigus ille filius identidem inclamaret; *Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus*. Recurrente autem anniuerſaria illius obitus die poſt veſperas ſolemniter in Eccleſia decantatas, quotannis ad populum, & Cardinales, qui frequentes aderant, de laudibus eius copioſe, luculenterque dicere conſueuit; & quidem in dicendo adeo exardeſcebat, vt erumpentes ex oculis amoris lacrimas cohibere non poſſet. Hunc ipſum in ore atque oculis ſemper habebat, &, cum ſe dabat occaſio, tum priuatim, tum publice præclara illius facta prædicabat. Hinc porro factum eſſe meritò exiſtimari poſſit, vt idem S. Pater, quaſi pro impenſo obſequio aliquid reponens, illi identidem per viſum ſeſe offerret, & modò hominem benigne complecteretur, modò ab eius conſpectu longe remota nunciaret. Quamobrem cum quodam die Antonius Gallonius, & Franciſcus Zazzara noſtræ Congregationis presbyteri ad ipſum adiſſent, & de Philippo ſermo incidiſſet, rogauit candide ſimpliciterque, quampridem illos S. Pater viſitaſſet, & dulci alloquio (vt olim viuens in terris aſſolebat) recreaſſet: *Diu enim* (inquit) *ad me non venit, nec conſolatus eſt me, cum enim multis ab hinc diebus a prandio in cubiculum me recepiſſem, & quietis gratia in capſa lignea decubuiſſem, antequam ſomnum caperem, ecce tibi* S. *Pater ad me venit, accedit, vtraque manu caput demulcet, & quemadmodum antea ſolebat, cum inter nos degeret, mihi ſuauiter blanditur; cumque illum fruſtra manibus appeterem, ſtatim euanuit, meque cœleſti quadam iucunditate perfuſum reliquit*. Præterea idem S. Pater Cæſari cum Ferrariæ eſſet, nocte quadam apparuit, atque his vocibus excitauit: *Extingue lampadem illam;*

cumque ille circumſpiciens quæreret quænam eſſet illa lampas, iterum Pater, *Extingue lampadem illam*. Itàque experrectus, incertuſque, quid miri ea verba portenderent, poſt aliquot dies, multaſque preces ſecundò Philippus ſeſe illi per viſum obtulit, atque apertè ſignificauit, Cardinalem Cuſanum vita eſſe defunctum, compertumque eſt poſtea, eadem ipſa hora Mediolani illum expiraſſe, qua S. Pater Cæſari primò apparens id obſcure indicauerat.

In Catholica fide, & Eccleſiaſtica poteſtate tuenda zelus, & ardor. *Cap. V.*

QVemadmodum autem Cæſar Sanctos viros mirifice obſeruabat, ſic etiam eorundem virtutes ſollicite imitari ſtudebat: quamobrem cum de tuenda Religione atque Eccleſiaſtica diſciplina, & poteſtate agebatur, incredibili quodam zelo totus ardebat. Annales ipſi loquuntur, in quibus videas hominem modò Eccleſiæ hoſtes ad prælium prouocantem, modò increpantem illos, & aggredientem, modò ferientem, & ad terram denique proſternentem. Hinc ira, & lacrimæ, atque ardentiſſima illa deſideria fundendi ſanguinem pro Eccleſia Dei, quam ipſius ſanguine acquiſitam, & non niſi Sanctorum ſanguine plantatam, irrigatamque fuiſſe intelligebat. *Dixi* (inquit alicubi) *& dicam ſemper, Domine, ecce venio; teſtaturus tua gratia, ſi liceret, multò melius ſanguine, quàm ſcriptis Catholicam veritatem: ſiquidem voce ſanguinis nulla potentior, quæ iugiter de terra clamans audiatur in cælo*. Hæc ille: nec minorem plane animi ardorem oſten-

dit

dit in tuenda Ecclesiastica potestate; quandoquidem, vbiubi sese offert occasio, aduersus Reges, & Principes (si qui fuerint) cæterosque Ecclesiastica iura infringentes, eaque sibi temere vsurpantes, acerrime inuehitur, admonetque illos, ne quid in hac re, quouis prætextu, aut ratione tentare audeant, si secus fecerint, extrema denuntiat: ait enim: *Timeo timeo istis, nequando, si hæc facere perseuerent (quod absit) Deus vindex tandem exurgens virga furoris ferrea, secundum illud Dauidicum* tanquam vas figuli confringat eos. *Vnde & ob imminens, quod adstat periculum æque cum eodem ipso ex alto vociferor:* Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: *& exemplo discite Caroli, magni scilicet Imperatoris, ex obedientia & obseruantia erga Apostolicam Sedem regna & imperia propagare, atque firmiter stabilire.* Illud etiam non rarò grauiter deplorat, ac detestatur, quòd in electione Romani Pontificis immiscere se aliquando sæculares Principes ausi fuerint: *Ob id* (inquit in vndecimo Annalium tomo) *declamaui sæpius, & exclamare non desinam, & commonere præsentes, & post futuros fratres meos S. R. E. Cardinales, vt pro viribus ad sanguinem vsque certare laborent, quò omnem Principibus aditum ad electionem Romanorum Pontificum obstruant; cum nihil hoc funestius pati Romana Ecclesia consueuerit, & pluribus summo ipsius damno contigerit demonstrari, cum eos non Principes adiutores, sed tyrannos persecutores in electione Pontificum est experta. Quid potuit Romanæ Ecclesiæ durius ac luctuosius contigisse, quàm vt qui tyrannide lupi sunt, de pastore creando decernant, & curent, quorum illud vnum studium sit, vt præficiatur ouibus pastor ignauus, quò ipsis liberum sit, cum velint, in oues irrumpere? numquam audiatur amplius tyrannis ista in Ecclesia Dei, vt Pontificem cogatur accipere a Principibus.* Hæc Cæsar, quæ quidem alibi etiam haud semel intonet: denique quan-

tus fuerit eius ardor in defendendis Romanæ Ecclesiæ iuribus tunc maxime intelligi potuit, cum de Sicula Monarchia (quod supra etiam innuimus) longam illam tractationem instituit, in qua ea est vsus libertate dicendi, quæ & Ecclesiasticæ historiæ scriptorem, & S. R. E. Cardinalem plane decebat. Quamobrem posteris omnibus testatum reliquit, nihil se antiquius habuisse, quàm vt exulantem postliminio reduceret veritatem, & obsitam tenebris in pristinam lucem, & libertatem vindicaret: id quod tunc etiam satis apertè demonstrauit, cum post Clementis VIII. Pontificis mortem ea de re negotium illi facessitum est. Nouendiales feriæ agebantur, & die quadam Cardinales, (vt moris est) in vnum conuenerant, cum duæ epistolæ a Prorege Siciliæ (vt credebatur) in medium afferuntur, quarum altera Pontifici iam defuncto: altera sacro Cardinalium Collegio inscriptæ legebantur, ambarum hoc vnum erat argumentum, Cardinalem Baronium quæcumque scripserat aduersus Siculam Monarchiam, temere, & imprudenter scripsisse: quapropter iure, ac merito corrigi atque emendari oportere: lectis huiusmodi litteris Cynthius Cardinalis Sancti Georgij satis ille quidem rerum gnarus, & ad consilia prudens, rem, vt erat, suspicatus: *Mihi sane* (inquit) *haud verisimile videtur, has litteras, viuente Pontifice, fuisse conscriptas, tum quòd citius ad Vrbem afferri debuerant, tum quòd altera ad Pontificem, altera ad nos dari superuacaneum videbatur*. Mouit hæc suspicio cæterorum animos ad veritatem vestigandam: itaque statim accersitur is, qui litteras attulisse dicebatur, cumque ille affirmaret, eas se neque accepisse vnquam, neque reddidisse, detecta fraude, grauioribus etiam suspicionibus relictus est locus. Igitur multa inter Cardinales edisseruntur, alijs aliter rem interpretantibus;

atque hi quidem, qui partem alteram tuebantur, longe mitius modestiusque in ea scriptione Baronio agendum fuisse dicebant, cum Rege præsertim de se, deque Catholica Religione optime merito; alij contra, Cardinalem, iubente Pontifice, in re grauissima, alia ratione nec potuisse scribere, nec debuisse. Interea dum Patres ex ordine suam quisque sententiam dicunt, Hieronymus Cardinalis Pamphilius, vt Baronium vnice diligebat, eiusque ingenium præferuidum optime nouerat, amice admonet, vt nequid iratius in aduersarios effundat; ille quanquam hominis prudentiam & consilium cæteroqui probaret maxime, tamen ea occasione, nequaquam sibi tacendum esse existimauit, siquidem non tam sua ipsius, quàm Ecclesiæ causa agebatur: itaque, vt erat diuino spiritu plenus, & in sacris litteris apprime versatus, statim ab illis prophetæ verbis exorsus est: *Deus laudem meam ne tacueris*; tum Apostolicum verbum adiecit: *Expedit mihi magis mori, quàm vt aliquis euacuet gloriam meam*: alia deinde, atque alia sacræ Scripturæ loca suo more subtexuit. Ad hæc apertissimis rationibus ostendit, tractationem illam de Sicula Monarchia non ab alijs sese accepisse, qui res Hispanicas haud æquis oculis aspicerent (quod falsò aliqui existimabant) sed suo ipsius ingenio partam, atque ex vetustis codicibus Bibliothecæ Vaticanæ depromptam fuisse, ijsque præsertim, qui in Archiuo Arcis S. Angeli diligentissime asseruantur, ad quem locum singulari quodam beneficio ipse duntaxat, tanquam Ecclesiasticæ historiæ scriptor, aditum habuisset. Denique illorum, quæ in ea scriptione continebantur breuiter dilucideque rationes exposuit, seque in id opus diligenter incubuisse testatus est, hortante, atque adeo iubente Pontifice, qui suis ipse oculis omnia legerat, iterumque perlegerat:

mox

mox tribus S. R. E. Cardinalibus examinanda, & discutienda commiserat, demum suo ipsius aliorumque iudicio comprobata, & commendata typis mandari voluerat, atque inseri in vndecimum Annalium tomum: Hæc Cæsar, atque alia eiusdem argumenti, vt ostenderet, quàm esset incongruum rationi, si ea quæ nuper auctoritate Sedis Apostolicæ fuerant scripta, recensita, atque probata, ad trutinam atque censuram sæculari potestate intercedente reuocarentur. Itaque tanto cum spiritus ardore, ac libertate, tanta cum verborum, & sententiarum copia dicentem admirati sunt omnes, adeò vt Octauius Cardinalis Bandinus palam affirmauerit (si fas esset eo loco & tempore) Baronium e vestigio Pontificem renunciandum, atque adorandum fuisse: cumque inter Cardinales plurima in vtramque partem differerentur, Alexander Cardinalis Medices, qui deinde iisdem comitijs Summus Pontifex renunciatus, ac Leo XI. appellatus est, vt erat ingenio solerti, ac lepido, *Equidem Patres* (inquit) *in hac re libere dicam, quod sentio: quas habemus ad Pontificem datas litteras, ad illum plane, vt opinor, vel si rogetur, allaturus est nemo, nec temerè inter nos quisquam inuenietur, qui cum eodem agere, aut velit, aut possit. Igitur nouus Pontifex expectandus est, & ad illum causa istiusmodi deferenda:* hac ratione toti controuersiæ finis imponitur, cœtusque dimittitur. Quæ quidem omnia quòd Cæsaris animum in Ecclesiastici iuris defensione intrepidum constantemque demonstrant, & ad vitam moresque eius penitus dignoscendos haud leue momentum afferre videbantur, prætermittere nobis religio fuit.

Obe-

Obedientia. Cap. VI.

CVm Obedientiæ virtus (teste Augustino) mater quodammodo sit omnium, custosque virtutum, ad illius studium Cæsar totum se contulit, & initio quidem, vt diximus, in Beati Patris Philippi potestatem, ac disciplinam se tradidit, mox in arctiorem aliquam religiosorum familiam se recipere cogitauit, in qua scilicet propriam Deo voluntatem solemni voto sacrificaret. sed cum Philippus abnueret, & sæpius, licet rogatus, obsisteret, eidem sese obedientiæ vinculo obstrinxit, eique in terris, tanquam Christo, parere decreuit: Itaque illius nutum, ac voluntatem instar diuini cuiusdam oraculi habebat. Cum ad Ecclesiam Florentinorum non ita pridem se recepisset, peruigilio SS. Apostolorum Philippi & Iacobi ecce tibi nuncius a Philippo, qui Cæsarem postridie mane pro suggesto solemni more concionem ad populum habere iubet. Nox erat, & ille alias res agebat, nihilque tale cogitabat; neque enim aliàs vnquam in Ecclesia e superiori loco concionatus fuerat, tamen vbi Philippi præceptum audiuit, continuò parendum esse intellexit, & sequenti mane suggestum conscendit, ac feliciter perorauit. Cum aliquando B. Pater puellam quandam pauperem ex honesta familia, cuius ipse paternam curam susceperat, defuncto patre, in matrimonium collocandam curasset, eiusque nuptias præsentia sua cohonestare voluisset, Cæsarem secum adduxit, vtque ipsum exerceret, in medijs epulis pro nuptiali carmine totum, quantus quantus est, psalmum *Miserere* elata voce, vt decantaret, imperauit quod ille continuò præstitit. Ad hæc sæpe illum Pater ad cauponas misit,

atque ea quidem lege, vt primùm grande quoddam œnophorum (id erat ſextariorum ferme duodecim) diligenter inibi purgandum atque abluendum curaret, deinde in cellam vinariam cum caupone ipſo deſcenderet, deinde minimam omnium vini menſuram expoſceret, denique pretij loco aureum nummum perſolueret, & quidquid ſupererat de pretio, reciperet: quare ſtomachati caupones, &, quòd derideri ſe crederent, iracundia permoti, non modò conuicijs hominem inſectari, ſed etiam verbera interdum minari conſueuerant: quæ quidem omnia etſi optime intelligebat, tamen libenti atque alacri animo obtemperabat, doctus nimirum captiuare intellectum in obſequium Chriſti. Illud autem in Cæſare admirere, quòd præ obedientiæ virtute ſalutem corporis vitamque ipſam pro nihilo duxerit. laborabat ille tum capitis dolore, tum etiam ſtomachi, & quidem adeo grauiter, vt vix tenuiſſimum cibum ſumeret, & in eo concoquendo cruciatus aſperrimos pateretur. quodam die a prandio de more ad Philippum venit; cui Pater: *Sume* (inquit) *malum illud citreum, & cum pane integro totum comede.* quid faceret Cæſar? hinc Philippi præceptum vrgebat, illinc certiſſimum vitæ periculum deterrebat; ſed tamen in fide nihil hæſitans vtrumque manu prehendit ac ſtatim deuorat, nec plus eo cibo grauari ſe ſentit, quàm ſi cruſtulum comediſſet: deinde domum reuertitur, & nihilominus, dato cœnæ ſigno, cum alijs in triclinium deſcendit, cœnat, dormit; atque ex ea die, ab omni prorſus ægritudine conualeſcit. Illud præterea ſummam in eo, & plane cæcam obedientiam oſtendit, quòd cum videret ſe *ſupra modum grauari ſupraque virtutem* (vt ait Apoſtolus) tamen ne hiſcere quidem audebat, ſed totum ſe ad ſuperioris nutum ac voluntatem conformabat: quamobrem reſcribens

bens Neapolim ad Taurusium, post recensitos labores occupationesque, quibus dies noctesque distinebatur, *Quamquam* (inquit) *auctoritate Pontificis intercedente facili negotio expedire me ab omnibus possem, non tamen committam, vt me postulante, aut admonente id fiat; absit hoc procul a me: quandoquidem, si ita Deo placuerit, hanc ipsam mentem inijciet ei, qui me gubernat ac regit. Etsi enim multi probatissimi viri quotidie mihi religionem obijciunt, siquidem relictis omnibus Annalium scriptioni totus non vacem; tamen, ita me Deus amet, vt alium plane neminem vnquam audiam, præter vnum Philippum Patrem meum: & ille quidem de hac re adhuc nihil.* plura ibi in hanc sententiam Cæsar, quibus apertissime demonstratur, quantum ille superioris iudicio tribueret, cui non voluntatem modò, sed etiam intelligentiam, mentemque submiserat.

Amor Paupertatis. Cap. VII.

VOluntariam paupertatem, tanquam charitatis altricem, ad extremum vsque diem constantissime coluit, atque ex Apostoli præcepto ita vtebatur hoc mundo, ac si non vteretur. Cumprimum Philippum audiuit, continuò mortalibus rebus nuntium remittere cogitauit, vt nudum Christum nudus & ipse sequeretur; politiorem elegantiam, quam fere omnes iuuenes affectare solent, omnino negligebat, & in corporis cultu tam incuriosus erat, vt a Camillo patre per litteras grauiter increpitus sit, propterea quòd sordidis, vt ille aiebat, vestibus vteretur, & quæ nimiam, atque affectatam quandam sanctitatem redolerent. factus presbyter ex obedientia, priuato quodam voto sese obstrinxit, quantum ille status patieba-

tiebatur, in paupertate perpetua seruiendi Deo, & proximorum saluti: quamobrem vna tantum tunica, vnoque pallio contentus erat, quæ sæpe illi vltro ab amicis, alijsque pijs hominibus dabantur, & cumprimum vestem deposuerat, statim pauperem aliquem, aut nudum operiebat. Obtulerat ei aliquando laneam telam e suis vnus, vt sæuiente hyeme ex illa sibi faciendum thoracem curaret; nec recusauit Cæsar amoris & pietatis munus, sed præclaro quodam inuento vestem huiusmodi sibi ipse statim confecit, sine molestia, sine sumptu, sine dispendio; siquidem telam mediam perforauit, atque ita induit, quasi saccum; ne videlicet, quam proposuerat animo, paupertas, aliqua ex parte læderetur. Reliqua eius supellex breuis ac vilis: lectulus, vt supra narrauimus, qui vix hominem capiebat, & feretri potius imaginem repræsentabat; armariola aliquot ex ligno rudi, atque impolito, in quibus libri reponebantur, sedeculæ itidem ex ligno cancellatim fabrefactæ, atramentarium fictile, quo ad extremum vsque diem vsus est, atque alia huiuscemodi, quæ religioso cuique viro, & quidem pauperrimo ad instruendam cellulam vix sufficerent. Adlectus deinde a Clemente VIII. Pontifice inter Protonotarios Apostolicos ex numero, vt vocant, participantium, adeo mores atque animum non mutauit, vt vestes eiusmodi dignitati conuenientes, quas aditurus Pontificem induere cogebatur, statim cum ad Vallicellam redibat, exueret, propriasque, id permittente Pontifice, resumeret, antiquas, obsoletas, & tanquam vnus ex alijs omnia Congregationis munia libenter obiret: quin etiam cumprimum ea dignitate ornatus est, continuò Virgini cuidam ex ijs, quas ille, vt diximus, tuendas alendasque susceperat; *Eia*, inquit, *quoniam Pontifex me in numerum Protonotariorum ascribi voluit, interiores*

teriores

teriores etiam vestes dignitati congruentes facere oportet: igitur pannum illum ex lino, quem trilicem appellant mihi emito (est id genus lintei crassioris, & rudioris) *ex eoque indusia mihi conficito.* Hæc Cæsar, & statim quæ habebat apud se indusia, & linteamina quæque subtiliora ad virginem mittit, vt omnia pauperibus distribuat: nec ita multo post creatus ab eodem Pontifice Cardinalis, huic ipsi virgini mandat, vt ex materia eò asperiori alia indusia atque alia linteamina faciat, quæ nimirum tantæ conuenirent dignitati: cumque illa aduersari videretur; ni faciat, multa ac metuenda minatur: quamobrem ex sacco eas conficere oportuit: aiebat enim, nolle se Ecclesiasticos reditus prodigere, & patrimonium pauperum in delicias luxumque consumere. Igitur cum iam purpuratus in Palatium, iubente Pontifice, commigrasset, ædesque sibi assignatas Pontificijs proximas satis commode instructas vidisset, statim cellulam quandam ex tabulis compingi sibi iussit, in eamque breuem supellectilem suam transferri: quò nimirum inter pretiosas vestes algeret, paupertate inter diuitias premeretur; quod quidem grauissimum martyrij genus esse S. Bernardus existimauit. Ad hæc purpureas vestes, quibus initio Cardinalatus a Pontifice donatus fuerat, ad vltimam vsque diem nunquam mutauit, quanquam longo vsu, & vetustate detritas: quòd si forte aliqui interdum obijcerent, interpolari eas amplius non posse; *Quiescite*, aiebat, *& ad interitum vsque meum duraturas esse pro certo habete:* thorace, & femoralibus pelliceis, eisdemque antiquis vtebatur, calceis, & crepidis laxioribus, quæ deinde attrita iterum atque iterum ad sutorem redibant. qua re cum e suis aliquis offenderetur, ac propterea nonnihil obmurmuraret. *An tu,* inquit, *nescis, Ecclesiasticos reditus sanguinem esse Christi!* Frugalitatem

litatem in mensa eandem retinuit, quam in Congregatione nostra seruari mos est, ipseque cum domesticis suis prandebat, adhibita inter comedendum lectione, & collatione aliqua de rebus spiritualibus, atque moralibus. Vesperi solus eorundem domesticorum consulens commoditati in cubiculo cœnitabat, & plerumque nihil, præter panis frustum cum duobus ouis, & pomo sumebat. Cum aliquando ægrotaret, & propter stomachi imbecillitatem vix cibum caperet, Bernardinus Castellanus, quo medico (vt diximus) vtebatur, pullum gallinaceum quotidie sumi, ex eoque consumpto iusculum confici iusserat, ad vires corporis reficiendas: id cum resciisset Cæsar, extemplo Oeconomum accersit, & ne quotidianum hunc sumptum fieri vltra permittat, apertissime iubet; dein Bernardino eidem, atque alijs qui eius curæ præerant, *En re, stas*, inquit, *hominum mentes, qui ob vnius homuncionis salutem, in singulos dies tantundem insumitis, quantum ad alendas duas familias pauperum satis esset*. quamquam autem multis rationibus ostensum fuerat, eiusmodi sumptum plane necessarium esse, qnandoquidem vitæ periculum agebatur, nunquam tamen acquiescere potuit, quin sorbitionem illam inuitissimus sumeret. Ædes sibi, suisque ad habitandum nunquam coëmit, sed cum e Palatio discessit, decentem domum conduxit, nec illam quidem aulæis textili auro illuminatis, aut velis acu pictis ornauit, atque vestiuit; non ebore, argento, atque auro impleuit; non signis antiquorum artificum, non pictis solerter tabulis: sed præter necessariam supellectilem, & pias aliquot Sanctorum imagines, nihil quicquam in ædes suas admisit: denique in domum quandam Congregationis nostræ propriam, Ecclesiæque contiguam, quemadmodum semper optauerat, migrauit, vt nimirum (quod ipse aiebat) in ni-

in nidulo suo moreretur: quamquam illa quidem angustior erat, quàm eius dignitas, & familia postulabant. Initio Cardinalatus, etsi tenues habebat reditus, & qui ad eam dignitatem sustinendam non sufficerent, nunquam tamen adduci potuit, vt a Pontifice quicquam peteret, sed paupertate sua contentus erat, & ex Dei prouidentia vsquequaque pendebat. Abbatiam in Hydruntino satis opulentam a Clemente Pontifice oblatam libere recusauit, quòd Episcopali iurisdictione gauderet; Titulum duntaxat Sanctorum Nerei & Achillei ab eodem Pontifice petijt, sed cum plane, quem cæteri omnes respuissent, omnium scilicet pauperrimum, in quo nihil admodum erat, præter Ecclesiam vetustate collapsam, & propemodum solo æquatam: huic porro instaurandæ animum adiecit; & ad opus perficiendum magnam pecuniæ vim licito fœnori accepit. A muneribus tum Principum, tum etiam aliorum, tanquam a rebus perniciosissimis semper abhorruit, diuinum illud mente reuoluens: *Non accipies personam, nec munera; quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum:* quamobrem cum illi ab Henrico IV. Galliæ & Nauarræ Rege Christianissimo ob nouum Annalium tomum eius nomini dedicatum, supellex elegantior ex argento atque auro ad instruendum domesticum sacellum dono transmissa esset, quæ quidem amplius duobus aureorum millibus æstimabatur, eam, laudata Regis munificentia, non modò recusauit, sed iterum iterumque ab eiusdem Regis Oratore sibi oblatam reiecit, denique, iubente Pontifice, quasi violenter illatam inuitus accepit, ea conditione, vt eodem momento in Ecclesiæ nostræ vsum potestatemque transiret: nec ita multo post cum Rodulpho II. Romanorum Imperatori decimum Annalium tomum obtulisset, ab eoque muneris loco Cru-

cem cryſtallinam affabre elaboratam ægre accepiſſet, eam ſtatim Capuccinorum familiæ, quam in patriam ſuam recens deduxerat, dono tranſmiſit. Hanc porro conſtantiam in recuſandis muneribus, præſertim Principum virorum initio Cardinalatus vſque adeo ſeruauit, vt nimiæ cuiuſdam auſteritatis, atque adeo ruſticitatis offenſionem incurrerit: quamobrem de illa, hortantibus amicis, aliquantulum remiſit, eumque ſibi in hac re modum retinendum eſſe cenſuit; vt neque reſpueret omnia, neque omnia admitteret, ſed ea duntaxat, quæ ad animi beneuolentiam ſignificandam potius, quàm ad augendam rem familiarem ſpectarent. Igitur leuiora quædam munuſcula ab amicis accipiens, aut pares, aut cumulatiores etiam gratias referebat. & vt paupertati ſuæ pariter, ac liberalitati conſuleret, quæcumque ſibi dono offerebantur, ea ſtatim pauperibus, aut religioſorum familijs dilargiri conſueuit. ſed ne longius fortaſſe, quàm par eſt, in hac re progrediamur, audiamus illum de ſua ipſius paupertate edifferentem; & veluti apud Iudicem rationem reddentem. Reſcribens igitur ad Io: Iuuenalem Ancinam hæc ait: *Quod paupertatem ſuades, optime quidem facis, ſed ſcito me eſſe pauperrimum: quòd ſi forte quidem breui ſim moriturus, nullam aliam habeo, quàm meis relinquam hæreditatem, niſi ipſam paupertatem: ac proinde neminem puto fore mihi hæredem, cum deteſtentur hanc omnes. Tu, cum veneris, videbis, ridebiſque ſub purpureis indumentis latere pannoſum; O ſi liceret quod nec modò loqui fas eſt. Tu in iſta luce viue, & Deo gratias age. Vale, mi Ancina, accelera aduentum tuum cum licebit, te enim cupio non ſemel, ſed ſæpe amplecti: iterum Vale.* Hæc paupertatis amator ad virum paupertatis amantiſſimum hanc ipſam virtutem ab ſe vehementer efflagitantem; & certe rem probauit euentus, quandoqui-

dem moriturus nihil reliquit, nisi breuem, vilemque supellectilem, qua diuendita vix tantundem pecuniæ coactum est, quantum faciendo funeri satis esset.

Qualis fuerit erga Propinquos. *Cap. VIII.*

NEc verò Cæsar diuitijs solùm, & Satanæ pompis renunciauerat, sed etiam omnibus, quibus Euangelica paupertas & nuditas lædi potest: in primis verò carni & sanguini, a quibus tanquam ab inimicis domesticis præcauendum esse maxime intelligebat. Itaque ipso initio suæ vocationis obstrepentem patrem, vt diximus, non audijt, & quamquam tum verbis, tum etiam factis iratum sese grauiter ostenderet, adeo vt filio vel necessaria alimenta subtraxerit, quòd nimirum, vt ipse aiebat, legum studia negligeret, atque asperum nimis vitæ genus sequeretur, nihil ea re commotus modeste admodum Patri, constanterque respondet, de studijs sese nihil remisisse; de cætero hoc sibi iam olim stetisse, bonorum virorum instituto viuere, atque a frequenti Sacramentorum vsu nunquam recedere; id sibi certum, ac deliberatum esse, etsi hæreditate, ac bonis omnibus spoliari necesse sit; igitur ex ea die summo omnium Parenti tota mente inhærere cœpit, cumque in Philippi fidem, & clientelam se dedisset, eodem duce, atque hortatore sacris initiari voluit, inscio prorsus patre, qui carnali affectu ductus longe alia cogitabat, atque ab vnico filio labentem domum fulciri vehementissime cupiebat. At verò tunc maxime Cæsaris animus erga parentes & propinquos apparuit, cum ad honores & dignitates euectus est: neque enim ad-

ſe illos ſtatim euocauit, aut diuitijs & honoribus augendos curauit, ſed de ſuo ipſorum ſtatu ne tantulum quidem eos dimouere decreuit: quamobrem ipſo initio Cardinalatus ad Fulginij præfectum ſanguine ſibi coniunctum reſcribens ait, propinquis omnibus ſeſe per litteras iam præcepiſſe, vt nemo, niſi accepta a ſe facultate, ad Vrbem veniret, eamque regulam perpetuò obſeruandam ſibimet propoſuiſſe. Ad hæc non ſemel rogatus nunquam adduci potuit, vt ſuæ ipſius conſanguineæ cum viris principibus connubio iungerentur, ſolitus dicere, ſeſe eſſe pauperem ciuem Soranum, & in ſuo ſtatu manere decreuiſſe; in quam ſententiam ad Talpam reſcribens ſic ait: *Quod ſpectat ad meam neptem nuptui collocandam, ſatis aperte iam me tibi locutum eſſe exiſtimabam, nimirum cum ſim Cardinalis, non ideo velle me ſanguine coniunctos opibus, atque honoribus augere, ſed in quo ſtatu eos reperi, in eodem plane relinquere animus eſt, ea duntaxat, quæ ſunt ad victum neceſſaria ipſis ſubminiſtrando: itaque cum pauperes ſint, naturæ legibus ſatisfeciſſe mihi videor, ſi fœminarum ſingulis quibuſque, cum ad nubilem ætatem venerint, mille aureos attribuero, qua quidem ſumma Soræ nobiles viri dotare filias ſuas fere conſueuerunt: de cætero nemo mihi moleſtus ſit, nolo ambulare in magnis, neque in mirabilibus ſuper me; ſatis hoc tibi ſit, & nunc, & in perpetuum: quod ſi forte alia vnquam mihi mens fuerit, acriter me corripito, tanquam ſtultum hominem ferro dignum, atque compedibus. ſed vt ſpero, id facto opus non erit;* hanc igitur animi deliberationem firmiter retinuit, niſi quòd eam dotem, quam neptibus in matrimonium collocandis decreuerat, hanc ipſam ijſdem in ſacrarum Virginum cœtus cooptandis attribuit, eòque libentius, quò eas ſanctioribus nuptijs Chriſto deſponſas, atque dicatas intelligebat; itaque quatuordecim virgines ſanguine ſibi con-

iunctas in varijs Vrbis Monasterijs Deo consecratas vidit. Cæterùm quod ad reliquos propinquos pertinet, etsi eis subuenire solitus fuit, vbi necessitas exposcebat, id tamen caute admodum, prudenterque faciebat, ne scilicet, natura suauiter impellente, metas necessitatis transgrederetur, & plus eis tribueret, quàm par esset. Roganti eum aliquando Augustino Manno, vt ex his quempiam commendatum haberet, *Ne quæso*, inquit, *Pater, hæc mihi loquere, siquidem ingratissima sunt auribus meis*: tùm ad Franciscum Zazzaram se conuertens, enixè illum rogauit, vt homines nostros sigillatim suo nomine obsecraret, ne de cognatis suis sibi vnquam in posterum mentionem facerent, si sanum se ac saluum tum animo, tum etiam corpore esse vellent: optime sese intelligere, quanam ratione sibi cum illis agendum esset, siquidem a matre sua hoc potissimum acceperat, vt si forte clericus fieret, a suis sibi maxime càueret; ne scilicet (quod vulgò dicitur) oculos illi de capite eruerent: quamobrem vehementer se sollicitum esse de Abbatia, quam in Octauianum patruelem suum transtulerat, quamquam enim hortantibus & deprecantibus Patribus nostræ Congregationis id fecerat, ad subleuandam adolescentis inopiam, eiusque domum sustentandam; tamen vtrum Dei iudicio res probaretur, valde incertum esse: id quod ne forte subiratus, aut aliud agens dixisse videretur, breui temporis spatio septies idem hoc ipsum eidem Zazzaræ affirmauit. illud præterea argumento esse potest, quàm longe Cæsar abesset ab omni affectione erga propinquos, quòd cum in Tusculano fundum emisset, in quem ex ijs aliqui se reciperent, sic enim ratio, & bonorum virorum consilium suadere videbantur; vt nimirum ea ratione ab inimicitijs, quas Soræ contraxerant, illos auerteret; ab amico quodam sapientiori

admonitus, factum eiusmodi humani aliquid ſapere, & nequaquam a Dei ſpiritu immiſſum fuiſſe conſilium iſtud, ſed carne potius & ſanguine dictante ſuſceptum, continuò abſque vlla controuerſia, *Vide*, inquit, *quæſo, & tecum ipſe delibera, quo pacto in meliorem vſum fundus iſte conuerti poſſit: neque enim ædificia, & poſſeſſiones in terris habere meum vnquam conſilium fuit:* eodemque tempore fundum in aliquot pia loca diſtribuit, partemque illius præcipuam Tuſculano Archipresbytero attribuit, ad conſtruendum in ea Vrbe ſacrarum Virginum Monaſterium. Quemadmodum autem a locupletandis propinquis abſtinuit, ſic etiam eiſdem honores & dignitates affectantibus omnem aditum obſtruxit; quamobrem cum accepiſſet, Octauianum patruelem ſuum, de quo paulo ante mentionem fecimus, relicta ſanctiori diſciplina, per ſpeciem ægritudinis, ad Eccleſiaſticas dignitates occulte ſibi viam ſternere, quamquam alioqui iuuenis & ingenio & cæteris animi dotibus non mediocrem ſui expectationem faceret, tamen a ſe longius ſtatim eiecit, atque ex ea die ad mortem vſque in conſpectum ſuum venire prohibuit. Venit aliquando ad eum inuiſendum e ſuis quidam domi, militiæque nobilis, & forte incidit, vt eo tempore Cæſar in publicum egrederetur. aderant de more familiares, qui Cardinalem deducerent, omneſque pariter, ſic enim fieri decebat, domini propinquo locum cedebant, tunc ille rhedam conſcendit, hominem aduocat, & digito infimum locum demonſtrans, *Sede*, inquit, *ibi, nolo enim, vt mei me propinqui in exitium pertrahant:* Porro hunc ipſum morem tenuit cum alijs omnibus ſibi ſanguine coniunctis, quos ad ſe interdum venientes acerbius duriuſque tractabat, ne ſcilicet ſuperbe ſaperent, neue vlla de re temere præſumerent. Martia erat Cæſaris amita, antiquæ probi-

probitatis fœmina, quam ille olim iuuenis ad viduitatem seruandam per litteras vehementer hortatus erat, quæque, relicta patria, ad Vrbem se contulerat, vbi in domuncula quadam iuxta nostram Ecclesiam sita, Deo & pauperibus inseruiebat, hanc Cæsar ipse honorabat, quia *vere vidua erat*, adeo vt etiam senex, & purpuratus flexis genibus ab illa benedictionem exposceret; tamen cum ab aliquibus, vt mos est, dominam eam appellari audisset, titulum eiusmodi auersatus, *Cur* (inquit) *dominam, cur dominam appellatis? Martiam dicite, & satis est.* Hanc ipsam deinde per summam iniuriam a fœmina quadam nobili, sed arrogantiæ plena publice in templo nostro contumelijs affectam, non modò qua pollebat auctoritate tueri noluit, sed perinde ac si nihil prorsus accidisset, ne minimum quidem perturbati animi indicium dedit: vt nimirum ostenderet, se Mundo crucifixum esse & plane mortuum, qui neque suorum honore, neque contemptu moueretur.

Humilitas. Cap. IX.

QVoniam autem, teste Gregorio, *fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum*, idcirco Cæsar in hac re totus fuit, & ad sui contemptum acquirendum, in quo Christiana humilitas sita est, velis, vt aiunt, remisque contendit. Igitur adolescens cum in legalibus studijs sese diu exercuisset, quamquam inuitus, iubente patre, doctoratus lauream sumpsit, non tamen publice, vt mos est, & cum solemni pompa, sed priuatim, & intra domesticos parietes: nec ita multo post diploma, quo post susceptam lauream impertitus

fuerat, in frusta concidit, ijsque tanquam signis ad notanda librorum loca vtebatur: omnis cultus negligens humili vestitu gaudebat, quamobrem asperam patris reprehensionem incurrit. Per hos ipsos dies Christianæ humilitatis studio inflammatus de suo (quod est difficillimum) ingenio triumphauit: cum enim volumen quoddam haud paruum apud se haberet, in quo multa carmina diligenter Italicis rythmis a se composita conscripserat, & vt partum ingenij sui vnice diligeret, reputare secum ipse cœpit, num sibi ad sese edomandum, contemnendumque, expediret, eiusmodi carmina disperdere, atque igni tradere. & primò quidem hærere, & in diuersas partes torqueri, denique ex longa concertatione, Deo adiuuante, victor euasit, arreptumque manibus librum in flammas coniecit; quare tantam in animo perturbationem, ac repugnantiam passus est, vt maiorem nullo vnquam tempore sese expertum fuisse Angelo Salutio libere affirmauerit. Ad hæc cum iam esset sacerdos, Philippo iubente, non semel in publicis exequijs, dum defunctorum corpora per Vrbem deportabantur, crucis vexillum deferens funebrem pompam præire conspectus est, qdod clericorum pauperum est, & ferme adolescentium, qui humilioribus Ecclesiarum ministerijs addicti sunt. sæpe etiam, more pauperum, panem, & vestimenta emendicauit, atque alia eiusmodi sexcenta humilitatis officia identidem obiuit. Cum autem in ædes Florentinorum se recepisset non modò in Ecclesia ornare altaria, campanas pulsare, parietes, & pauimenta sua manu euerrere consueuit; sed etiam domi vilia quæque ministeria libenter obire, & coquinariam exercere; adeo vt, quod alias retulimus, in anteriori parte camini litteris vncialibus festiue inscripserit, *Cæsar Baronius Coquus perpetuus*. Ad Vallicellam cum venisset

plus

plus omnibus laborabat, minus omnibus accipiebat; vbicumque eum quæreres, aut in Ecclesia, aut in cubiculo inuenires: inter presbyteros sociosque primus in opere, extremus in ordine: quicquid boni fecerat, ad alios referebat: quamquam autem occupationibus tam grauiter premeretur, vt respirare libere non posset, nunquam tamen potuit adduci, vt ex nostris hominibus quisquam illi aut lectum sterneret, aut cubiculum verreret, aut aliud quicquam faceret ad eum subleuandum. ad Annales scribendos vi atque imperio Philippi compulsus, etsi res feliciter cesserat, & viros doctissimos ad sui admirationem conuerterat, de illis tamen rarus, aut nullus sermo, nisi forte secus necessitas cogeret: nihil enim quicquam magis timebat, aut longius fugiebat, quàm suam ipsius laudem & gloriam; id quod cum optime intelligeret Philippus, vt hominem more suo salubriter excruciaret, eius ingenium & doctrinam coram ipsomet, alijsque viris eruditione & nobilitate conspicuis extollere ad cœlum solebat, hanc veluti laciniam ad finem sermonis annectens; Cæsarem quidem virum esse doctum, sed tamen immitem, ac plane barbarum. Porro eius doctrina tam longe aberat a fastu, atque arrogantia, vt nihil haberet antiquius, quàm vt ab omnibus admoneretur, & corriperetur; quamobrem illud Augustini crebris sermonibus vsurpabat; *Verum & seuerum diligo correctorem meum*. hoc domi, hoc in Vrbe ab amicis omnibus requirebat; hoc etiam foris per litteras vndecumque flagitabat: quod si forte aliquid in suis scriptis deprehenderet, quod veritati minus consentaneum videretur, aperte, atque ingenue retractabat: in sermocinando autem simplici quodam stilo vtebatur, & ad vulgi captum accommodato; cumque ingenio, eruditione, memoria polleret plurimum, tamen ex industria

duſtria intra certos quoſdam limites ſe continebat, atque omnem prorſus verborum pompam, populique plauſum declinabat; quo quidem genere dicendi vere fructuoſo audientium animos vehementer commouebat. ad Cardinalatum euectus alternis diebus feſtis, vt antea ſolebat, accepta a Pontifice facultate, verba ad populum faciebat; cum autem animaduerteret, multos conſultò ad ſe audiendum concurrere, palam edixit, ex improuiſo atque inexpectato in poſterum ſermones habere ſe velle; abſolutiſque comitijs, quibus Summus Pontifex Paulus Quintus creatus eſt, Pontificem ipſum rogare decreuit, vt liberam ſibi poteſtatem faceret ſermocinandi profeſtis etiam diebus, quibus S. Gregorij Papæ dialogos narrandos ſuſcipere conſilium fuit; humilem ſcilicet, facilemque materiam, quę animos virtutibus magis, quàm doctrina & ſcientia excoleret, planctumque potius, quàm plauſum audientium excitaret. Annus erat a partu Virginis ſexcenteſimus ſupra milleſimum, quo temporis ſpatijs legitimis expletis Clemens VIII. Pontifex Maximus ſolemnem Iubilei celebrationem indixerat vniuerſis Chriſti fidelibus, qui præcipuas quatuor Vrbis Baſilicas deuote inuiſerent, cum Cæſaris virtus maxime enituit, quippe qui quantò magis appropinquabat ad mortem, tantò vehementius naturæ tarditatem incitabat. Agebat iam tertium & ſexageſimum ætatis annum, & quamquam debilitato vigilijs & laboribus corpore, tamen de ſtudio pietatis & charitatis nihil remiſerat. cum igitur religionis cauſa multitudo hominum prope infinita ad Vrbem vndequaque confluerer, domi ſuæ nonnullos ferme quotidie recipiens, omni officio, atque obſequio fouebat, alijs autem ſedulò miniſtrabat in publico Xenodochio Sanctiſſimæ Trinitatis Peregrinorum & Conualeſcentium, quod opus Beati Philippi con-

pi consilio, atque opera nuper incœptum, breui maximum incrementum accepit, quò multi pariter eiusdem Ordinis viri ad id pietatis officium obeundum ferme quotidie conueniebant: quin Summus ipse Pontifex eòdem sæpissime se contulit, & peregrinorum pedes suis manibus lauit, & ijsdem in mensa studiose humaniterque ministrauit. Illud autem in primis admirandum videtur, quòd Cardinalis, senex, & infirmus, quatuor illas, quas prædiximus, Ecclesias, octo fere milliarium itinere, tricies hoc anno pedibus accessit. neque ea tantùm occasione, sed aliàs quoque iam Cardinalis septem etiam Vrbis Ecclesias multo longiori itinere pedes obiuit, quando scilicet Congregatio nostra, cum bacchanalia maxime feruent, ex sancti Patris instituto magno populi comitatu easdem Ecclesias inuisere consueuit; eaque occasione discumbentium in prato multitudinem Dei verbo reficiebat. Sed & hoc humilitatis ipsius præclarum est argumentum, quòd cum ætate iam grauem malus dæmon, Deo ita permittente, turpibus suggestionibus stimularet, patribus Congregationis libere rem aperuit, omniumque orationibus sese humillimis precibus commendauit; id quod olim etiam adolescens cum Camillo patre per litteras fecerat: nouerat quippe bonus Christi miles, ad corporis cordisque munditiam custodiendam, quantum valeat humilitas. Aduersus Beatum Patrem prope incredibilem reuerentiam semper præ se tulit, atque itidem senex, vt olim iuuenis, ad eius pedes sese abijciebat, illosque osculabatur; vt nimirum ea ratione intimam animi sui submissionem, ac deuotionem ostenderet: quapropter Philippus idem, cum hominem videret iam longæuum, sed morum simplicitate atque humilitate plane puerum, dicere consueuerat; *Ecce nouitium meum*. quin etiam interdum colaphum

phum illi nec opinato impingebat: quo ictu tantùm abest, vt doleret, vt diuina quadam consolatione sese intime perfundi sentiret. Tunc verò Cæsaris humilitas maxime apparuit, cum & oblatas primarias dignitates reiecit, & ad eas denique suscipiendas compulsus, animum, moresque nihil omnino mutauit. Primùm igitur a Gregorio XIII. Pontifice Maximo sua ipsius sponte Soranus Episcopus destinatus, deinde Theanensis a Sixto Quinto, instante Iulio Antonio Sanctorio Cardinali S. Seuerinæ, denique Senogalliensis a Gregorio XIV. postulante Vrbini Duce, nunquam adduci potuit, vt assensum præberet, sed excusauit tum paupertatem, & humilitatem, quas vouerat; tum etiam Annalium opus, quod præ manibus habebat, quodque totum hominem requirere videbatur. Adlectus deinde, vi, & minis a Clemente Pontifice inter Protonotarios Apostolicos, adeò mores non mutauit, vt nec etiam vestes eius dignitatis proprias induere voluerit, nisi cum adeundus esset Pontifex; id quod quàm occultissime facere solebat: denique ab eodem Pontifice diu reluctatus, & pro imperio creatus Cardinalis, perpetuam quandam tristitiam pariter cum purpura induere visus est, & ad vltimam vsque diem nullum querelarum modum fecit. nostros hoc tempore ad eum adeuntes, & sacras vestes de more osculantes non modò humaniter excipiebat, sed flexis etiam genibus dulciter amplectebatur dicens, *Fratres, fratres sumus:* quin etiam inuisenti eum Angelo Vellio, qui post illum Congregationis nostræ præpositus electus fuerat, statim occurrit, atque intrò in cubiculum ducit, vbi remotis arbitris in genua procumbens quam fortiter prehenderat dexteram iterum ac sæpius exosculatur; testatus, se, tanquam Congregationis filium, debitam illi obedientiam ac reuerentiam perpetuò exhibitu-

hibiturum. Porro hanc ipsam animi demissionem litteris etiam testatam reliquit; scribens enim Ferraria, quò cum Clemente Pontifice concesserat, ad Petrum Consolinum nostræ Congregationis presbyterum, egregiæ doctrinæ & sanctitatis virum, tunc temporis tironibus præfectum, hæc ait. *Arguere me ipse debeo, & veniam postulare, quòd nullas ad te litteras dederim, saltem vt tibi gratias agerem pro precibus, quas pro me ad Dominum effudisti; facio nunc, & quàm maximas possum gratias ago, rogoque, vt in ea re etiam in posterum perseueres, cum omnibus pariter tironibus tuis mihi charissimis, quibus omne incrementum gratiæ spiritualis exopto. Insere, Pater, insere nouas plantas, ad instar magnæ illius arboris, cuius isthæc sunt germina: & quibus ipse instructus es artibus, cæteros quoque pro viribus instrue; certumque habeto, beatum Patrem nostrum, & viuere adhuc, & videre, & regere filios suos; flagellumque in manu habere ad dyscolos corrigendos. quod ad me attinet, oro te, vt nouitiorum tuorum numero me adscribere velis, atque vbicumque opus fuerit, libere reprehendas. O vtinam mihi in hunc modum iuuenescere in senectute contingat, & propheticum illud de me impleatur.* Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. *id enim, si ad spiritualem sensum respicimus, significare videtur Abisac dormiens cum Dauid sene; nimirum feruorem spiritus cum senectute coniunctum. Vere Abisac cum sancto Patre nostro dormiebat, siquidem (quod probe nosti) adeo feruebat in senectute, vt se profectò inflammari incendique sentiret. Haud fouent senes purpura, & lacernæ pelliceæ, sed vna duntaxat Abisac: hanc vtinam mihi sociam habere liceat seni iam frigidissimo: hoc mihi apud Dominum impetres velim, propterea enim hæc ad te scripsi: sic te Deus consoletur, & sanctum faciat.* Nihil igitur antiquius habuit, quàm vt ab amicis omnibus corriperetur, Dauidicum illud corde atque ore sæpissime repetens: *Corripiat me iustus*

in mi-

in misericordia; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. & quò propiores honoribus ac dignitatibus adulationes esse nouerat, hòc longius fugiebat, & perniciosam hanc pestem quàm diligentissime præcauebat: quamobrem nonnullis e suis in Christo filijs id nominatim præceperat, vt vbiubi illum offendere intelligerent, summa cum libertate corriperent; vtque ea res facilius ex voto cederet, simplici ac piæ cuidam virgini, cuius ipse curam gerebat, sanctæ obedientiæ nomine imperauit, vt siquid illa aut videret, aut audiret, in quo ipse offendere videretur, sibi continuò denunciaret; quò nimirum sua ipse vitia corrigere atque emendare posset. Itaque cum quadam die sciscitaretur ab illa, ecquid esset, de quo admonere eum deberet, libere respondit, hac vna re nonnullos offendi, quòd homo ætate iam grauior, & qui sanctitatem profitebatur, byssinam tunicam superindueret manicis nimis eleganter ornatis, quòdque anteambulones haberet gladio præcinctos; quibus auditis; *Quàm doleo* (inquit) *filia fratres meos & proximos meos mea causa contristatos esse? sed, Deo bene volente, ac Dei Genitrice dulcissima, emendabo erratum meum: scito enim, filia, nihil horum vnquam me animaduertisse, ac perinde mihi accidisse, atque olim Sancto Bernardo, quem tota die equitasse ferunt, nec tamen equi phaleras vidisse, & cum spatio vnius diei iuxta Lausannensem lacum iter fecisset, ad aquas nunquam oculos aduertisse; sed ille sanctus erat, ego autem peior sum Catena.* fuit is latro insignis, quod e supra meminimus. id verò omittendum non est, quòd cum a quoquam corripiebatur, aperto capite, demissoque in terram vultu, quasi reus a quis ante Iudicem, stare consueuerat. Præterea (quod in S. Martino Episcopo Turonensi summopere laudatur) cubiculario cuidam vesperi, summotis omnibus, calceamenta quo-

tidie

tidie detrahere solebat, nec a suis vnquam, nisi ægritudo & necessitas cogeret, vestibus aut exui aut indui se passus est. Iturus cubitum a Reginaldo quodam, quem a manu habebat, & crucis signo muniri se, & aqua benedicta aspergi iubebat. Venit aliquando ad Monasterium sacrarum Virginum, in quo vna ex neptibus suis solemni professione religionis vota susceptura erat, ingressusque Ecclesiam vidit in anteriori parte altaris affixa insignia domus suæ, statimque inanem illum honorem auersatus coram populo, qui frequens aderat, insignia illa detrahi iubet, aitque, indigna esse, quæ vel infimo quoque loco ponerentur; egressusque foras animo vultuque irato, non antea rediijt quàm sibi obtemperatum esse intellexit. Incredibile autem dictu est, quantam ille animi demissionem, ac deuotionem ostenderet erga viros religiosos, & Christianam perfectionem sectantes, siquidem illos omne genus officijs prosequebatur. Ex his vnus fuit Ioannes Baptista Vitellius Fulginas, vir eximiæ probitatis, quem sanctus Pater Philippus quasi filium dilexit vnice, & veluti proprio nomine *Sanctum* vocare consueuit, ac deniq; futura præsentiens in patriam remisit, vbi innumeros Christo filios peperit, extructoque Oratorio Boni Iesu (hoc namque vocabulo appellari illud voluit) ad vltimam vsque diem piè enutriuit verbo, & exemplo; qua re ingentem apud Deum atque homines gloriam adeptus est: hunc igitur Baronius, & commorantem olim in Vrbe mirifice coluit, & redeuntem postea religionis causa anno Iubilei M.DC. humanissime accepit, secumque prandere voluit, denique argenteam crucem eius collo suspendit, nec sine magna amoris significatione a se dimisit. Fratrem Innocentium Panhormitanum ex Franciscana familia, quam reformatam vocant, laicum illum quidem, & sim-

& simplicem, sed magnæ virtutis virum non semel apud se prandere voluit, eique accumbenti cibos, & pocula suis ipse manibus ministrauit. P. Bernardum Colnagum e Societate Iesu morum suauitate, ac sanctitate spectabilem officij causa ad se adeuntem non modò humanissime excepit, sed genibus etiam aduolutus pedes eius exosculatus est. Verum quò officiosior in cęteros, hoc erat sancta quadam rusticitate, citra omnem contemptum, seuerior erga principes, & nobiles viros, quibuscum rarò, & parum libenter agebat; neque enim ille (vt mos est hominum aulicorum) videri, & videre, salutari, & salutare quotidie solebat; sed nisi ratio, & necessitas cogeret, adibat plane neminem. Ab inanibus quoque officijs tum coram, tum etiam per litteras abstinebat, & rudem quandam simplicitatem affectabat, adeo vt eum qui sibi erat ab epistolis sæpius correxerit, quòd politius, atque elegantius scriberet, quàm ipse vellet: dicebat enim, nihil sibi optatius accidere posse, quàm vt ab omnibus ineptus, & rudis existimaretur: Denique, ne longius in hac re progrediamur, quemadmodum ille toto vitæ suæ curriculo ad humilitatem quotidie sese exercuit, ita & in morte plane humillimus apparuit. Paucis ante diebus, quàm ex hac vita migraret, cum in lectulo decumberet (quod fuse suo loco narrauimus) astante atque audiente Angelo Salutio clamare cœpit: *Nihil est plane, nihil est, quod in hac vita maiorem mihi molestiam, atque dolorem attulerit, quàm Cardinalatus. Cauete dæmonis insidias, cauete; is enim dumtaxat verus honor est. seruire Deo cum omni humilitate. Pudet me Cardinalem fuisse, dignus quippe non eram, qui essem, vel simplex sacerdos, ò me nequissimum!* hæc atque his similia identidem repetebat, quæ intimam, & profundam animi humilitatem demonstrant: aduocans præterea

ad se

ad se Camillum Baldinum propinquum suum, primùm quidem suæ ipsius paupertatis hæredem illum instituit, deinde. *Audio* (inquit) *te nimio plus, quàm oporteat ad litterarum studia incumbere, incumbe potius, fili, ad Christianas virtutes, & ad eam præsertim quam mortificationem appellant, non alta sapiens, sed humilibus consentiens.* Accedentes verò ad se omnes enixe rogabat, vt peccatorum veniam sibi a Domino precibus exposcerent, & sacerdotes quidem ab se non dimittebat, nisi antea sibi benedixissent, laicos autem nostræ Congregationis, vt se aqua benedicta aspergerent, & rogabat, & iubebat. Denique de suo ipsius funere cogitans, Franciscum Zazzaram obsecrauit, hoc sibi beneficij loco a Patribus impetraret, vt se in Ecclesia Sanctorum Martyrum Nerei & Achillei, omissa funeris pompa, tanquam pauperculum hominem sepeliendum curarent: ibi enim ille iampridem, iuxta tutelares Martyres sepulchrum sibi parauerat sola modestia atque humilitate conspicuum.

Patientia eiusdem, & mansuetudo. *Cap. X.*

AD hanc Cæsaris humilitatem sociam se adiunxit patientia, quæ quidem eò laudabilior in illo videri potest, quò erat suopte ingenio feruidior, & procliuior ad iram. quanquam enim aliquando irascebatur, tamen intra rationis terminos se continebat, prophetícum illud altè retinens: *Irascimini, & nolite peccare.* Quo tempore Congregationi nostræ præerat, si forte quempiam pro suo munere acriter reprehenderat, dimisso illo, remotisque arbitris, sese in terram deijciebat, & quasi contemptæ misericor-

diæ reus diuinam clementiam precibus, & lacrimis implorabat; quamobrem *tunc propior erat veniæ* (quod olim de Theodosio dixit Ambrosius) *cum fuisset commotio maior iracundiæ, prærogatiua ignoscendi erat, indignatum fuisse, & optabatur in eo quod in alijs timebatur, vt irasceretur*. Quinetiam si a quopiam dicto vel facto læsus fuisset, beneficijs compensabat iniurias, nouoque prorsus genere vlciscendi, quò offendebatur grauius, hòc diligebat impensius. Qui aduersus illum scripsere, & canino dente Annales Ecclesiasticos inuasere, eos ipse, etsi tuendæ veritatis causa refellere coactus est, tamen vsque adeo non reserijt, aut male accepit, vt singulari quadam obseruantia, ac beneficentia coluerit. Vir erat in Vrbe princeps, qui suis rationibus ductus in illius scripta acriter stilum strinxit, hunc Cæsar edita pro se luculenta defensione fr ternæ charitatis admonuit, atque ex eo tempore tanto amore complexus est, vt quotidie pro illo ad Deum funderet preces. hanc porro incredibilem patientiam ac lenitatem memoria repetens sacerdos quidam ex nostris, qui olim fuerat ei charissimus atque amicissimus, me audiente, dicebat, dolere se vehementer, quòd aliquid in illum graue atque molestum non admisisset, quò scilicet ad vltionem huiusmodi hominem prouocaret. Cum domesticis interdum vehementer agebat, iracunde nunquam, nec aliquando ex ore eius excidit verbum, quod contumeliam redoleret. Rixatus fuerat e suis vnus sanguine sibi coniunctus cum Sorano ciue, ab eoque per summam iniuriam spectantibus multis alapam acceperat: nec mora, ad Vrbem se confert, ad Baronium conuolat, ratus nimirum, facinus eiusmodi eum indigne laturum, &, qua præstabat auctoritate ac dignitate, meritas pœnas de improbo ciue sumpturum: at ille, cui longe alia mens erat,

vbi

vbi hominem videt iratum, & vindictæ cupidum, statim recedere a se longius iubet, nec, nisi pace facta, in conspectum suum venire; itaque in patriam reuersus, pacem init, mox Romam ad Cæsarem redit, ab eoque benigne acceptus solum vertere iubetur; vt nimirum ea ratione temerarij hominis præsentiam declinaret, omnemque rixarum materiam submoueret. Vir quidam magnus erat in Vrbe, & ad Pontificem Orator, hic multa aduersus Baronium temere iniurioseque & dixit & fecit; postea verò pœnitentia ductus ad illum venit, flexisque genibus veniam postulauit; quem Cæsar iniuriæ immemor non modò humaniter excepit, sed omnibus etiam charitatis officijs prosecutus est. Corporis autem dolores, aut ægritudines æquo animo tolerabat, eodemque vultu de manu Domini bona pariter ac mala suscipiebat: quamobrem Bernardinus Castellanus testatum reliquit, eius patientiam, præsertim in corporis infirmitatibus perferendis, fuisse plane incredibilem; quam quidem Deus ipse sibi gratam acceptamque fuisse non semel euidenti prope miraculo demonstrauit: nam, vt cætera sileam, cum aliquando ardentissima febri laboraret, idque de Petro Consolino Beatus Pater rescisset, *Abi (inquit) & dic Cæsari, vt febrem extemplo abire, nec amplius redire, iubeat:* hæc cum Cæsar accepisset, Philippi nomine imperauit febri, quæ dicto audiens, statim recessit, nec vlterius, eo quidem tempore, reuersa est. ille autem de strato exiliens sumptis vestibus ipsa die, more suo, Apostolorum limina visitauit. Hanc porrò virtutem Cardinalatus dignitas adeo non imminuit, vt etiam auxerit vehementer: non modò enim medicis, amicisque omnibus dicto audientem sese omnino præbebat, sed infimo cuicue famulorum suorum, queis etiam pro ijs, quibus funge-

bantur officijs continuas gratias agebat. postremis suæ vitæ diebus cum febri, & stomachi dolore grauiter cruciaretur, videretque omnes de sua ipsius salute sollicitos: *Nihil est* (inquit) *quod vltra de me solliciti sitis; siquidem paucis hisce diebus mihi laborandum est:* cumque multi ex religiosis Ordinibus, qui ad eum inuisendum vndique confluebant, preces, & sacrificia pro illius valetudine Deo oblaturos se esse dicerent: *Nolite quæso* (inquiebat) *de corporis salute cogitare, animæ potius salutem a Domino mihi exposcite:* quamobrem Dauidicum illud identidem corde atque ore repetebat: *Benedicam Dominum in omni tempore*; & quasi superabundans gaudio in omni tribulatione cantabat dulciter, *O amor, ò amor, ò Iesu amor meus*! Quamquam autem Cæsar tum in dicendo, tum in agendo summam patientiam ostenderit, non defuerunt, qui illius acrimoniam in scribendo accusauerint, quasi animi minus patientis indicium, reuera tamen id totum zelo ipsius adscribendum est, quo nimirum, cum se dat occasio, pie sancteque irasci, atque exclamare compellitur. præstat illum ipsum audire de hac re disertè loquentem in apologia, quam scripsit pro Tractatu de Sicula Monarchia: *Habeo* (inquit) *quem Magistrum imiter Dominum nostrum Iesum Christum, de cuius dicendi modo, hæc habet Euangelista:* erat docens, tanquam potestatem habens, non tanquam Scribæ, *nempe quòd Christus esset magna libertate (vt omnes docent interpretes) in veritate prædicanda; Scribæ autem Herodi Regi adulantes, omnia pararent ad gustum ipsius: absit, absit (iterum dico) vt sicut Scribæ scribam, & non sicut Christus annunciem libere veritatem. Habeo post Christum sanctissimos patres, quorum in scribendo sequar exemplum, qui infracta animi constantia pro tuenda veritate aduersus eam impugnantes, non humili, eneruato, mollique stilo sunt vsi, sed*

grandi,

grandi, fortique, miscentes etiam reprehensionum acrimoniam, in eos sententias aculeatas instar fulminis intorserunt: sunt innumera horum exempla annis ferme singulis in ipsis Annalibus Ecclesiasticis recensita, quorum ex vsu, dum lego frequenter, & describo, idem mihi dicendi genus inhæsit, quod haud despiciendum putaui; probe sciens, illud dono spiritus potius, quàm humana industria comparatum: sed ea mensura discretionis adhibita tunc sum vsus eo scribendi genere, cum siue aduersus nouantes hæreticos, schismaticosque agendum fuit, aut in Principes iura Ecclesiæ labefactantes, & in seruitutem eandem Ecclesiam redigentes; vel cum dicendum aduersus disciplinæ Ecclesiasticæ corruptores, tuba cælesti auribus meis importune nimis illud propheticum personante; Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum, *& quæ sequuntur. Ad hanc nempè formam compositos esse debere, qui sunt eligendi S. R. E. Cardinales, S. Bernardus Eugenium Romanum Pontificem monet: nempe, vt tales sint; qui Regibus (inquit) Ioannem exhibeant, Aegyptijs Moysen, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Elisæum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum: nimirum vt zelo semper in delinquentes armati perdant vbique & quoscumque operantes iniquitatem: hæc est forma nostra Spiritus Sancti penicillo delineata, vt qui huiusmodi non sumus, deformes esse conuincamur.* Plura ibi Cæsar lectu dignissima, quæ cum in Hispaniã ad Regem fuissent transmissa ab Antonio Cardinali Zappata, Rex ipse non semel sibi perlegi voluit, non sine admiratione innocentiam auctoris testificatus. id quod Cæsar ipse in litteris ad Antonium Talpam accepisse se scribit ab Iacobo Boncompagno Soræ Duce, qui ea de re certior factus fuerat litteris ex Hispaniã ad se perlatis.

Corporis maceratio. Cap. XI.

NOn solum autem animum ad patientiam formabat, sed etiam corpus, Apostolicum illud arctè retinens: *Sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Adolescens cum esset, tum orando, & studendo, tum etiam ieiunando sæpius per hebdomadam sese exercebat: nocturnas quoque vigilias agebat, cædebat se flagellis sæuissime: pro molli autem culcitra laterculos defatigato corpori substernebat, ne scilicet grauiori somno opprimeretur; sacris deinde initiatus somni, cibique quotidie parcior, non amplius, cum plurimum, quàm quinque horas dormiebat; & quò res facile cederet, interdum a mensa prope incoenatus recedebat. id quod præclare intelligens Philippus, sæpe illum post coenam ad triclinium redire, ac coenare iubebat; quamobrem iure optimo Pompeius Paterius testatum reliquit, eum, quoad vixit in Congregatione, nec somni vnquam satis coepisse, nec cibi. Neque verò ad Cardinalatum elatus, quam diu tenuerat abstinentiam, reliquit; sed ijsdem ferme epulis, sibi, suisque mensam instruendam curauit; siquidem mane, vt antea dictum est, suos omnes mensæ adhibebat, tanquam pater filios, vno excepto structore, atque altero ex cubicularijs, qui cibos duntaxat inferrent; neque enim sibi vnquam poculum per interualla afferri voluit, sed in mensa præparatum suis ipse manibus desumebat: cum verò Pontifex de mensa sua ad illum quotidie mitteret, anticipare prandium decreuit, vt ea ratione nimias illas delicias & scitamenta declinaret: quamquam autem erat in victu parcissimus, tamen cibos secando,

cando, carpendo appetentiam simulabat; vt nimirum & abstinentiam suam tegeret, & alios ad vescendum humaniter inuitaret. cœnabat raptim panis frustulum cum duobus ouis, & pomo; idque solus peragebat, ne conuescentibus cæteris incommodaret. Ferraria recuperata, Clemens VIII. Pontifex Maximus ad eam Vrbem progredi, vniuersamque prouinciam lustrare voluit, cuius itineris comites adhibuit sexdecim Cardinales; in ijs Baronium, quem a confessionibus, atque consilijs semper habuit: cum autem pro sua dignitate, atque ingenita liberalitate illos magnifice tractaret, eorumque mensam conquisitissimis cibis extruendam curaret, Cæsar inter epulas esurire iampridem edoctus, parce admodum & temperanter sese habebat, ita tamen, vt procul omni affectatione negotium gereret. denique quocumque loco, aut tempore a suacontinentia atque austeritate ne latum quidem vnguem discedebat; quamobrem post eius mortem dissecto corpore stomachus adeo extenuatus, atque contractus apparuit, vt summam hominis parcitatem in cibo potuque apertissime testaretur. frigoris & caloris tam patiens erat, vt hyeme iuxta atque æstate ijsdem vestibus vteretur; thorace nimirum, & femoralibus, tibialibusque pelliceis, quibus quantumlibet longo vsu attritis in ipso etiam Cardinalatu vsus est; chirothecas, atque alia huiusmodi ad frigus arcendum nunquam adhibuit; pro linea interula, vt antea narrauimus, saccum induebat, cilicio etiam sæpissime corpus macerabat, quod præsertim in Ecclesiæ necessitatibus, quasi loricam quandam firmissimam, bonus Christi miles contra Diabolum pugnaturus induere consueuit, atque in solemnioribus diebus, quibus aut Pontifici publice assistere cogebatur, aut aliquid eiusmodi munus suæ dignitatis proprium obibat.

Virginalis Castitas. Cap. XII.

CAstitatem perpetuò coluit, atque ad eam maxime conseruandam, carnem suam (quod modò diximus) ieiunijs, vigilijs, alijsque afflictionibus macerabat. Adolescens cum esset, atque apud Io: Michaëlem Parauicinum moraretur, vidit seminudas quasdam corporum imagines in tabulis depictas, & quidem licentius, quàm vt eius pudor & castitas ferre possent; nec mora (quamquam erat hospitio nuper acceptus) zelo castitatis accensus, quæcumque honestos oculos videbantur offendere, offusis coloribus audenter induxit; quæ res non modò hospitum animos ad iram non commouit, sed maximam etiám illi venerationem conciliauit: tantumque profecit exemplo, vt quæcunque inibi erant fœminæ, non intortis crinibus (quod etiam vetat Apostolus) non intecto incederent capite, sed ligato pariter, & velato. quanquam autem Cæsar tam arcte oculos, mentemque custodiret, vt planè imperuium sese hostium incursionibus reddidisset, tamen datus est illi stimulus carnis suæ, qui eum colaphizaret, vt nimirum Dei virtus in eius infirmitate perficeretur; igitur quadam die cum immundus spiritus titillaret sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggereret, inuenit tirunculus Christi, quo pacto dæmonis artes eluderet, & carnis spurcissimas cogitationes a se procul auerteret; etenim cimicem, quem forte in promptu habebat, fœdissimum ac fœtidissimum animal, & dictu quoque molestum, manu cœpit, atque ori admouit, præmansumque deglutiuit, simul indignante sensu, simul animo immundissimum spiri-

tum exsufflante. Illud autem præ cæteris in hac re tanquam præsentissimum remedium adhibere consueuerat, vt si forte carnis illecebris impeteretur, continuò humiliaret se sub potenti manu Dei, & tanquam vilissimum mancipium ad pedes Domini sui sese abijceret, atque ita humi prostratus lapsum & ruinam non timebat. quamobrem suas ipse tentationes interdum patefacere, atque intimos animi sensus aperire solebat, ijs præsertim, quorum consilio, aut precibus apud Deum iuuari se posse sperabat; id quod non modò adolescens facere non erubuit; sed neque etiam senex: sanctissimum virum Gregorium Nazianzenum imitatus, cuius vitam, moresque, & in hac re præsertim singularem virtutem suspexerat, atque laudauerat. Cum aliquando vna ex neptibus eius intra Monasterij claustra se reciperet, solemnique ritu sanctimonialium cœtui ascriberetur, acciuit Cæsar iam tum Cardinalis cantores aliquot Pontificios, qui sacras Virginis nuptias de more in Ecclesia modulando cohonestarent; quibus peractis eosdem conuiuio liberaliter excepit, expletisque epulis ad recreandos animos, vt canerent aliquid, rogauit: illi, vt aduenerant imparati, cantiunculas quasdam ad musicos modulos concinnatas, quas tum forte ex ijs vnus secum habebat, statim arripiunt, & canere aggrediuntur: ad primas autem voces, *Satis* (inquit) *satis cantatum est*. scilicet castissimus, ac pudicissimus animus ferre non potuit cantilenam, non impudicam illam quidem, aut obscœnam, profanam tamen atque amatoriam, quales nimirum sunt, quæ pueris etiam honestissimis primò canendæ offeruntur. Quid ni autem caueret ab omni specie mala, atque ab omni impudicitiæ nebula, qui virginitatem perpetuò illibatam seruauerat ab vtero matris suæ? cuius rei testem liceat nobis aduocare

Deipa-

Deiparam, ipſam Virginem, cui nimirum ipſummet Cæſarem hanc præ cæteris omnibus virtutem acceptam retuliſſe compertum eſt. cum enim annum ageret iam ſexageſimum nonum, eundemque ſibi extremum eſſe intelligeret, paucis ante menſibus, quàm ex hac vita migraret, quaſi commeatum petiturus, ad Monaſterium Purificationis ſe contulit, inuiſurus præſertim Franciſcam Cheliam probatæ virtutis Virginem Deo ſacram, cuius antea, tacito nomine, mentionem fecimus, quamque ille olim cum eſſet presbyter noſtræ Congregationis in Chriſto filiam aluerat, atque educauerat, poſt multam verò diſſertationem de rebus ſpiritualibus, *O quantum* (inquit) *filia, debemus Deo, qui e tantis malis, tantiſque periculis nos eripuit, qui talia ac tanta in nos beneficia contulit?* tum illa ſecum cogitare cœpit, ideo Cæſarem hæc dicere, quòd virginitatis donum a Deo accepiſſet; & fortaſſe Deus ipſe iniecit illi hanc mentem, vt ea ratione ſeruuli ſui virtus omnibus pateſieret; igitur ea fiducia & libertate, quam Chriſtiana charitas, & ſpiritus dare ſolent, ſic eum interpellat: *Dic, amabo, Illuſtriſſime Domine, tu virginitatem cuſtodis, nonne?* at ille probe intelligens, *& ſacramentum abſcondere bonum eſſe, & opera Dei reuelare, & confiteri honorificum eſſe*, ſtatim erexit ſe, aperuit caput, & ad Deiparam Virginem, cuius imago erat in altari proxime ſito, oculos animumque conuertens ait; *Dei & Sanctiſſimæ Matris beneficio virgo ſum, neque præter matrem meam, quiſquam tetigit vnquam corpus meum.* id ipſum paulò ante quàm ex hac vita migraret, data occaſione, communicauit cum ſacerdote quodam religioſiſſimo: & cum aliquando hortaretur quendam ad caſtitatem, quò facilius rem homini perſuaderet, teſtatus eſt, carnem ſuam vnius duntaxat genitricis ſuæ oculis patuiſſe, præterea nemini.

Pieta-

Pietatis opera per eum publice instituta.
Cap. XIII.

QVamquam antea sæpius de Cæsaris pietate tractatum est, tamen aliqua consultò omissa in hunc locum reiecimus, quæ non quidem priuatim, & in abscondito, sed palam, ac publice ab illo sunt instituta, ideoque præter ingenitam eius pietatem & charitatem, incredibilem quandam animi magnitudinem præseferre videntur. Vix dum ille ad Cardinalatum assumptus fuerat, cum titularem sibi Ecclesiam SS. Nerei & Achillei a Pontifice petijt, atque eam quidem, cuius parietes vetustate collapsi, templi formam prorsus amiserant; eo scilicet animo, vt e vestigio instauraret; re audita Pontifex obstupuit, & subridens ait: *Tibi scilicet, tanquam omnium Cardinalium ditissimo iure optimo debetur hic titulus, continuò enimuero restituendus.* Denique roganti atque obsecranti, quod voluit, concessum est. nec mora, Cæsar operi manum admouet, quodque magno animo inceperat, intra anni spatium feliciter absoluit: cum autem illi per eos dies ad largiendum nihil suppeteret, præter voluntatem, non dubitauit pro ea re pecuniam iusto fœnori accipere, & ad septem aureorum millia instaurandæ, atque exornandæ Ecclesiæ liberaliter effudit: id quod iam antequam Cardinalis crearetur, meditatus fuerat, ac veluti animo præsagierat; cum enim aliquando septem præcipuas Vrbis Ecclesias religionis causa obiret, aspiceretque antiquas templi ruinas, disiectos parietes, atque omnia prostrata, & ruderibus plena, *Hem* (inquit ad socios) *quò tandem Sanctorum Martyrum Nerei & Achillei templum antiquissimum redactum est:*

est: hic S. Gregorius Papa homiliam ad populum habuit; hic priscis illis temporibus Titulus a maioribus erectus est, & Fasciolæ appellatus. quid dicent hæretici, qui quotidie ad Vrbem veniunt, & nos vndique calumniantur? Tu scis, Domine, quid ego facturus essem, si animo suppeterent vires. Igitur cum primùm sese obtulit occasio (fuit autem nondum elapso mense) Ecclesiam reficiendam curauit, ac prope a fundamentis excitatam ornauit, perfecit; seruata tamen veteri forma, atque instauratis quibusdam antiquis imaginibus in abside eiusdem Ecclesiæ musiuo opere delineatis: deinde annuente Clemente VIII. Pontifice, corpora SS. Martyrum Nerei Achillei, & Flauiæ Domitillæ ibidem olim sepulta, ex Diaconia S. Adriani, quò sub Gregorio IX. translata fuerant, in suum pristinum locum celebri pompa reduxit quinto id. Maias MDXCVII. qua die quotannis eorum natalitia ibidem celebrare, atque ipsemet solemni ritu sacrum facere, dum vesperæ canerentur interesse, & homiliam ad populum habere consueuit. hæc Cæsar ad Cardinalatum nuper assumptus, cum adhuc nullos haberet Ecclesiasticos reditus, sed ea tantum a Clemente Pontifice acciperet, quæ erant ad vitam, dignitatemque sustentandam necessaria. factus deinde Abbas S. Gregorij ad cliuum Scauri, & quidem tam singulari priuilegio, vt illi Clemens Pontifex tanquam suo & Apostolicæ Sedis delegato liberam & amplam auctoritatem, & iurisdictionem in temporalibus, & spiritualibus in Ecclesiam ipsam, Monasterium, Monachosque contulerit; ad eum etiam locum instaurandum continuò sese conuertit, eòque libentius, quò magni illius Pontificis memoriam studiosissime coluit. Primo igitur ingressu cum ne obolum quidem ex reditibus eius Ecclesiæ accepisset, duo ferme aureorum millia in illius instaurationem impendit,

quan-

quantum ſcilicet toto biennio ex ea vix accipere poterat: iterum deinde tria aureorum millia adiunxit, imprimiſque eam partem ſacrarum ædium reficiendam curauit, in qua menſa illa e marmore aſſeruatur, qua S. Gregorius Chriſti pauperes accipere ſolebat, & aliquando Chriſtum ipſum recepit: hunc locum non modò picturis, & tecto, cælatoque laqueari ornauit, ſed etiam ſtatua marmorea affabre exculpta ſanctiſſimi huius Pontificis imaginem ad viuum repræſentante. Aliam præterea ædiculam huic proximam in honorem S. Siluiæ Magni Gregorij magnæ parentis ædificari voluit, in eaque eius ſimulacrum e marmore collocauit: cœmeterium quoque amplificauit; Sacellum S. Andreæ, cuius nomini, & patrocinio olim ab ipſomet S. Gregorio Monaſterium illud dedicatum fuerat, marmoreis columnis, picturiſque decorauit, denique reliquam Eccleſiam varijs monimentis e marmore, ad retinendam loci religionem, auxit, & ornauit, cuius etiam anteriorem partem, in ampliorem formam ædificare animus erat, niſi mors hæc, & maiora quotidie molientem occupaſſet: quamobrem, quod ipſe inchoauerat, perfecit demum noſtra memoria Scipio Cardinalis Burgheſius, qui deceſſoris ſui pietatem, & gloriam æmulatus ampliſſimam templi frontem a fundamentis erexit, & ſingulari plane magnificentia ad finem vſque perduxit. Nec modò intra Vrbis mœnia Cæſaris pietas & liberalitas ſeſe continuit, ſed longe etiam lateque diffuſa eſt, quandoquidem Soræ Franciſcanis Fratribus Capuccinis templum domumque fundauit, quibus præter librorum copiam, & multam ſacrarum rerum ſupellectilem donauit etiam cryſtallinam crucem, & materia ipſa inſignem, & Dominicæ paſſionis myſterijs in ea mira arte cælatis, quam illi dono miſerat Rodulphus II. Romanorum

rum

rum Imperator ob decimum Annalium tomum suo nomini dedicatum: ad hæc vt ciuium suorum saluti vsquequaque prospiceret, iam tum iuuenis Sorano Episcopo auctor fuit, vt in suam diœcesim euocaret clericos illos, qui per eos dies tum in Vrbe, tum etiam alibi, laudabili plane instituto, rudiores imbuere cœperant Christiana doctrina, a qua & nomen sortiti sunt; eoque annuente Marcum quendam ex ijsdem clericis vnum, spectatæ fidei & probitatis virum, illuc ab Vrbe transmittendum curauit, cuius opera, atque industria non sine magno animorum fructu in vinea Domini laboratum est. Denique, vt multa paucis complectar, Clericorum matris Dei Congregatio eius consilio, atque auxilio stetit, quandoquidem iubente Clemente VIII. Pontifice Ioanni Leonardo spectatissimæ virtutis viro eiusdem Congregationis fundatori tum in condendis constitutionibus, tum etiam in re promouenda diligenter adfuit. Puellas S. Euphemiæ (vulgò dispersas appellant) non modò in vnum colligendas curauit, sed etiam collectas, pecunia, & patrocinio semper adiuuit: ijsdemque Monasterium ad Ecclesiam S. Vrbani, vt extrueretur obtinuit, quò illæ reciperentur, quæ Deo sub suaui religionis iugo famulari desiderarent. Pueros pauperes, quos Litteratos vocant, cum primùm factus est Cardinalis, in tutelam suam recepit, ac modis omnibus fouit, vnde pium istiusmodi opus, quod hodieque viget, originem duxit. alia insuper multa pietatis opera, tum in Vrbe, tum etiam alibi, aut excitauit ipse, aut excitantibus alijs præsto semper fuit.

***

Fama

Fama, & existimatio de eius pietate, & Sanctitate. Cap. XIV.

QVanquam ex iis, quæ hactenus dicta sunt satis apertè intelligitur, quanta fuerit hominum opinio de Cæsaris pietate, & sanctitate, nihil enim scribere ausi sumus, quod testimonio grauissimorum virorum nobis aut dicto, aut scripto non fuerit comprobatum; tamen vt res luculentius pertractetur, consultò aliqua selegimus, atque in hunc locum reiecimus, ex quibus facile appareat, quantam ille virtutibus suis apud omnes admirationem excitauerit. Illud autem primo loco proponendum videtur, quod vel per se solum sufficere possit ad rem demonstrandam, nimirum quanti esset ille apud S. P. Philippum, cui in penetrandis intimis animi sensibus, spiritibusq; discernendis similem inuentum non esse sacra rituum Congregatio pronunciauit. is igitur cum plures haberet in sua Congregatione filios virtute, & morum sanctitate similes sibi, vnum Cæsarem elegit, apud quem conscientiam suam deponeret, atque expiaret, huic vni biennio ante quam ex hac vita discederet, Congregationem ipsam commendatam voluit, professus, se tum demum libentissime moriturum, cum videret iam Congregationem in Baronij manu ac tutela repositam. Clemens VIII. Pontifex Maximus, spectatissimæ pietatis ac prudentiæ Princeps, ad vltimam vsque diem illum sibi a consilijs & confessionibus adesse voluit, quicum de rebus grauissimis quotidie consultabat; nec diu latere lucernam sub modio passus est, sed supra candelabrum posuit, vt luceret omnibus, qui in domo Dei essent. quin etiam eidem

relu-

reluctanti, atque obstinate purpuram recusanti palam testatus est, sese eo consilio id facere, vt omnes cognoscerent, Ecclesiasticas dignitates cum probitate & sanctitate posse congruere. Robertus Cardinalis Bellarminus pietate pariter & doctrina longe clarissimus, Baronij virtutem eò vsque suspexit, vt illum pomparum mundi magnum contemptorem appellaret, eiusque iudicio & consilio prope in omnibus vteretur. quamobrem ad Cardinalatum euectus, domum, & familiam suam ad illius familiæ normam modumque composuit. Hinc porro factum est, vt cum Baronius idem senio laboribusque confectus grauiter ægrotaret, & ad illum inuisendum quotidie Bellarminus veniret, quamquam hominem amicissimum videre, & amplecti summopere cupiebat, tamen ne languenti quoquomodo molestus esset, sese ab ingressu cubiculi cohibebat, domesticosque interrogabat, vt valeret; vbi acceperat, illum grauiter laborare. *Igitur hæc illi*, inquiebat, *meo nomine nunciate*; *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*. Mortuum deinde effusis lacrimis prosecutus est, quas vel in publico funere continere non potuit; quin etiam domi per eos dies cum domesticos suos de more ad Christianas virtutes hortaretur erumpentibus ex templo lacrimis sermonem quoque abrumpere coactus est; quod quidem flagrantissimi amoris indicium videri potest, in homine præsertim cordatissimo constantissimoque, qui amissionem suorum, etiam coniunctissimorum facillime pertulit. Henricus IV. Francorum & Nauarræ Rex Christianissimus cum olim ex litteris & nuncijs Cæsaris virtutem optime perspectam haberet, non modò illum dilexit vnice, sed & sacra argentea supellectili donauit CC. librarum pondo, quæ nimirum regiam munificentiam decebat; denique illud edixisse

fertur, vt si esset aliquando futurum, vt Baronius inter Sanctos solemni Ecclesiæ ritu referretur, id totum Regni sumptibus fieret. Petrus à Matre Dei Hispanus, diuinis virtutibus & singulari sapientia insignis, qui Ordinem Carmelitarum Discalceatorum in Italiam primus inuexit, & in Vrbe concionator Apostolicus magno cum omnium plausu & fructu id munus impleuit, dicere solebat, præter vnum Cæsarem, audisse omnino neminem, qui tanto spiritu, tantoque ardore verbum Dei prædicaret, atque animos ad pietatem, & pœnitentiam inflammaret: quamobrem loco viri Sancti atque Apostolici illum habebat. Bernardus Colnagus e Societate Iesu doctrina & morum sanctitate laudabilis, cuius mentionem antea fecimus, vsque adeo illum veneratus est, vt cum ad eum veniret, veniebat autem sæpissime, eius pedibus prouolueretur, eosdemque osculatus benedictionem supplex rogaret. Iacobus Sirmondus ex eadem Societate vir in primis eruditus & pius, Cæsarique charissimus, cuius laudes, & merita ipse in suis Annalibus prosequitur, testatum nobis, suaque manu consignatum reliquit, sese tot annorum spatio, quibus familiariter eo vsus est, nunquam ad illum adisse, quin melior redierit, ob præclaras eius virtutes, & feruentissimam charitatem, qua tum in Deum, tum etiam in proximos æstuabat: quamobrem cum de eius morte nuncium accepisset (erat tum forte cum Claudio Aquauiua eiusdem Societatis Præposito Generali) in hæc verba prorupit: *Enimuero Pater, si tanta virtus, tamque perfecta viuendi ratio, quantam adhibuit Baronius, ad salutem requiritur, & quis (oro) perueniet ad regnum Dei? profectò desperanda res esset, nisi sciremus supra id quod satis erat multa illum supererogasse*. Stanislaus Rescius probitate & doctrina conspicuus scribens ad Cæsarem ipsum non

N ita

ita pridem Protonotariatus Apostolici titulo illustratum. *Rursum* (inquit) *Moyses, rursum Hieremias, rursum Esdras, rursum Basilius, rursum Nazianzenus, rursum superiora sæcula; sed cur non Moyses, cur non Hieremias, vbi Dominus? cur non Esdras, vbi Angelus? cur non Basilius, Nazianzenus, vbi rursum Petrus, rursum Syluester, rursum Leo, & Clemens? Narro tibi, Cæsar, egi Deo gratias, cum quæ Clementi Vicario suo Deus de te inspirauit, ex R. P. Iuuenale pio ac docto sacerdote, ac si olim fuisset, audiui: plane æui prioris exempla, cum throni & cathedræ digniorum essent, non potentiorum; cum stabant merita, strata iacebat ambitio; cum a præfecturis & dignitatibus arcebantur, qui ad illas nihil afferebant præter velle, ipsam etiam suam ignorantes inscitiam; cum sacerdotes quærebantur, vt loquitur Theologus, non rectores: animarum dispensatores, non pecuniarum custodes, puri sacrifici, non fortes & robusti defensores. Nunc mihi Cæsare maior Cæsar es, non quia vicisti, cum oblatos honores ab optimo Pontifice refutasti, sed quia vinci te passus es a Clementis clementia, a qua vinci ipsa etiam cupiat victoria: quo vno facto tu Annales, te Pontifex, Pontificem Christus magis etiam tibi Orbi Christiano stupendum, spectandumque proposuit. O mihi alter Esdra: non te oblati Protonotariatus gradus ob altioris cupiditatem puduit: scis nullum in Ecclesia paruum gradum esse, magnumque existimari debere procreatæ naturæ, vel quoquo modo ad Deum appropinquare: in quo facto, & his timidior inuentus es, qui ad Ecclesiasticas præfecturas sine linea & perpendiculo prosiliunt, & his vicissim audacior, qui omnes fugiunt; factum sane animæ naturaliter Christianæ, quippe difficile est sacerdotem agere ei, qui libenter aliud est, quàm sacerdos: Quid iam expectemus aliud, nisi vt post eruditissimos commentarios tuos apice Apostolico dignissimos Ecclesia Dei per orbem Christianum reædificetur, sicut post inuenta in Ecbatanis, & lecta commen-*

mentaria reædificatum est templum in Hierusalem. Sed hæc olim de te, deque tuis Annalibus liberius apud alios cantabuntur; quamuis nunc etiam mihi circum linguam calamumque verba volitent ad pungendas tibi pro tam illustribus in Ecclesiam Dei meritis gratiarum, hymnorumque illecebras; sed, quæ tua est humilitas, non possum non vereri, ne vel ad laudum tuarum memoriam iam etiam erubueris. Hæc Resciius, qui deinde paucos post menses non tam Cæsari Cardinalatum gratulatur, quàm toti Ecclesiæ Dei, aitque. *Vellem & sine litteris, si fieri posset, ostendere cordi tuo, Deo dilecte Cardinalis, lætitiæ meæ magnitudinem ex tuis ornamentis acceptam, in quibus ego non te solum, sed ipsam adeo virtutem, pietatem, litteras, purpura donatas arbitror, & illa resuscitata secula, cum ijs solis omnia debita ornamenta putabantur qui fidem antiquam, Ecclesiam pacatam, & ne quid nimis, nimis semper amauerunt; nec idem illis erat meritorum in rempublicam Christianam, qui dignitatis primus dies. Gratulor in Ecclesia Dei tam solidam erectam columnam, Pontifici, tam prudentem additum senatorem, collegio tam illustre ornamentum, Congregationi tam solidum gaudium, tibi tam amplam de tota re Christiana benemerendi occasionem, mihi, reliquis omnibus, quos iste sol aspicit anteponendam lætitiam: magno iudicio delectus ad priores creditur, qui nouis honoribus cumulatur; sed rerum tempus verbis non teramus in tanta præsertim piorum omnium lætitia, quorum singuli in te vno ornatos se, purpuratosque arbitrantur. Habes gratulationem, quàm nostra coniunctio postulat forte breuiorem, sed tamen silentio longiorem; mens, & desiderium tua loqui vellet, sed corporalis infirmitas, & in primis labris anima vocem negare pectori compellitur; sic enim valeo nihil vt aliud expectem; quàm efferri: sola nobis cogitatio de Sanctis similia passis. Iob nobis medicus, Rex & Propheta aliptes, quem siue sumo, siue pono toties exclamare necesse habeo, ò David, ò Propheta,*

 quàm

quàm tu pijs duntaxat animabus baud prolixè cantasti? seruet te Christus Iesus incolumem, vt sacram hanc vestem, thronumque purpureum, quem tibi, sudoribusque tuis per Clementem Vicarium suum commisit, eruditionis tuæ præstantia, vitæque meritis magis atque magis exornes. Vtere moribus tuis, & omnia complesti. Hactenus Rescius in ipso iam mortis limine constitutus, quamobrem tantum abesse ab omni fuco, & adulatione censendus est, quantum aberat ab occasione. Paulus Episcopus Rauellensis itidem gratulabundus ad Cæsarem hæc scribit: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, te in purpuratis Patribus annumeratum audiens; magnum certè lætitiæ fontem recluserunt, & singularis vetusque mea in te obseruantia, & vberrimum quod inde speratur totius Christianæ reipublicæ commodum. At quidem tibi Cardinalis amplissime, non eo nomine gratulor, quod bysso, & purpura induaris, quòd cum Principibus sedeas, quòd summo in terris Principi semper carus assistas: hæc enim omnia gentes inquirunt, magnifaciunt, admirantur: caduca autem hæc & momentanea, & ipse iampridem despexisti, & piè sanctissimeque tuæ vitæ instituta rationes patefaciunt, & alijs, me sæpe audiente, grauissima illa tua dicendi ratione id ipsum persuadere studuisti: sed eo potissimùm, quòd magnum tibi, & euidens ostium apertum est, quo incensum illud, & immensum animi tui desiderium iuuandi Ecclesiam Dei aliquo pacto explere potes.* Plura ille, & quidem præclara in Cæsaris laudem, quæ nos in aliud tempus consultò reiecimus, ne forte plus iusto Lectorem hîc detineamus. Nicolaus Serarius e Societate Iesu vir doctissimus, & religiosissimus eodem argumento, sed non eodem genere litteras non tam gratulatorias, quàm consolatorias scribens hæc dicit: *De purpura deque tanto tanti Pontificis iudicio tibi Reuerendissime & Illustrissime Domine, certatim gratulantium videre videor*

tot amicissimorum vultus, voces, litteras: ego verò cui aliquot iam litteris intimos animi tui recessus, tristissimosque gemitus, & suspiria indicasti, gratulari an debeam, animi pendeo. Tibi caduci isti honores insidiosa Aegyptij Putipharis vxor, tibi casses, funes, vincula, compedes: an ego amoris, meritorumque tot, & tantorum in me tuorum adeo immemor, tantis te malis implicatum vt later? an parum recte dignitatis, præstantiæque naturam a te, cui tam in omni genere multa, cælestia etiam & abstrusissima peruestigata, minus perspectam suspicer? neutrum sane, sed duo alia: ipsi enim sanctissimæ Dei Ecclesiæ, reique publicæ Christianæ gratulor, quæ etsi tuis a lucubrationibus plurimum hactenus accepit, multo tamen deinceps lucis plus a consilijs optimis, exemplisque sanctissimis acceptura est. Audite insulæ, & attendite populi de longe. Dominus *e Vallicula Cæsarem* vocauit; *de cellulæ angulo* recordatus est nominis eius, & posuit os eius, quasi gladium acutum, in vmbra manus suæ proteget eum, & posuit eum sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit eum. *Deinde verò tibi etiam ipsi Illustrissime, & Reuerendissime Domine, gratulor, quòd etsi plurimos, maximos, vtilissimosque ad Dei optimi maximi gloriam hactenus labores exantlasti, plurium tamen, maiorum, vtiliorumque in Vrbis & Orbis totius oculis campus longe datur amplissimus. Gaudeo sapientissimi Pontificis eam in partem ijsse sententiam, vt omni iam metu, & angore abiecto modestis quidem illis, sed molestis tamen mœstisque cogitationibus nostro cum Apostolo respondere possis.* Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Multa præterea Serarius, quibus Cæsaris virtutem ad cœlum tollit: id quod & alij quamplurimi præstitere tum litteris ad ipsum da-

tis, tum etiam libris in lucem editis, quorum in præsentia indicem texere superuacaneum existimauimus. Denique ea fuit opinio de illius virtute, & sanctitate apud exteros omnes: vt multi ex remotissimis regionibus ad Vrbem venirent hoc vno nomine, vt Baronium viderent, & *quos ad contemplationem sui Roma non traxerat* (quod olim de Liuio dictum est) *vnius hominis fama perducebat*. alij etiam depictam eius imaginem, quasi rem pretiosissimam, in patriam deferrent, domique apud se tanquam aliquid sacrum venerabundi asseruarent. Hinc porro Franciscus Villamena nobilis nostri temporis artifex, vt exterarum rum gentium desiderio satisfaceret; Baronij & Bellarmini imagines ære incisas & ad viuum expressas edidit, cum eorum vterque inter homines esset, atque ambo ad purpuram coacti, lucerent in Ecclesia Dei tanquam geminum lumen oculorum. fuit autem Cæsar grato & pleno maiestatis aspectu, colore candido, corpore nec obeso, nec gracili, sed quadrato, procero, & robusto; oculos habuit cæruleos, & nitidos, quos ingenita quadam, & virginali modestia demissos, & prope clausos semper habebat: frontem amplam, & rugosiorem; capillum hispidum, natura quidem nigrum, sed in senectute prorsus candidum; densa supercilia; nasum oblongum, & subaduncum; mediocres aures; promissam incultamque barbam, quæ vtramque malam vestiret. denique is erat habitus oris, & vultus, vt intimam animi sanctitatem præseferret, & qui in illum intuebantur, Basilios, Chrysostomos, Ambrosios vno aspectu, præsertim cum sacerdotalibus indumentis ornatus esset, sibi videre viderentur. Hæc nobis de viro pietate, & doctrina præstantissimo dixisse

suffi-

sufficiat, neque enim omnia, quæ suppetunt ex eius vita nunc persequi animus est: quædam enim admirabilia, quæ de illo prædicantur modesto silentio dissimulare consultius visum est,
atque in aliud tempus reserua-
re, si quando Dominus
seruum suum
mi-
rificare, gloriaque & honore
coronare volue-
rit.

FINIS.



AVTORIS PROTESTATIO.



DVERTE, Lector, in Elogÿs Virorum Illustrium, quos hisce Historÿs complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere, perstringo nonnunquam aliqua ab ÿs gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt, præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione diuinitus collata. demum nonnullis sanctimoniæ, vel martyrÿ videor appellationem tribuere. Cæterùm horum pleraque iam antehac ab alÿs Scriptoribus prodita fuerunt, ea vero quæ addidi, a viris probæ fidei, vt existimo, accepi. Verum hæc omnia meis Lectoribus ita propono, vt nolim ab illis accipi, tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata; sed tanquam quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant; atque adeo non aliter, quam humanam historiam. Proinde Apostolicum Sacræ Congregat. S. R. & Vniuersalis Inquisitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integre, atque inuiolate, iuxta declarationem eiusdem decreti à Sanctiss. D. N. Vrbano VIII. Pont. Max. an. 1631. factam, seruari me omnes intelligant: nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis aut martyrÿ inducere, seu augere, nec quidquam eius existimationi adiungere; nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem; exceptis tantummodo ÿs, quos iam eadem Sedes, Beatorum catalogo adscripsit: sed omnia in eo statu a me relinqui, quem seclusa hac meo lucubratione obtineret. Hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit; & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi.

IN-



INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

LI-

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

De

Bne-

Cle-

Con-

Pau-

F

Fran-

Ia-

O 4 Io:

Gra-

Tu-

Pe.

pes

Q

R

T

V

Ve-

X

Z

